

SIC LÆTA QUIESCO

SYMBOLAE
LITTERARIAE
OPVSCVLA VARIA
PHILOLOGICA SCIENTIFICA ANTIQVARIA

SIGNA. LAPIDES. NVMISMATA. GEMMAS

ET

MONVMENTA MEDII AEVI

NVNC PRIMVM EDITA COMPLECTENTES

VOLVMEN NONVM

Ornatum Tabulis aere & buxo incisis



FLORENTIAE. CIↃ. IↃ. CC. LII.

EX IMPERIALI TYPOGRAPHIO
PRAESIDVM PERMISSV.

ALEXANDRO BORGIAE
ARCHIEPISCOPO
ET PRINCIPI
FIRMANORVM
AMPLISSIMO SAPIENTISSIMO
INTEGERRIMO
QVOD MORIBVS EXEMPLIS LABORIBVS
DOCTRINA ERVDITIONE
EDITIS PRAECLARI INGENII
COMPLVRIBVS MONIMENTIS
REPARATO PROPAGATOQVE
DIVINO CVLTV
AVCTA CATHOLICAE ECCLES. GLORIA
FAMA ET CLARITATE NOMINIS SVI
OMNIVM LAVDES SVPERGRESSVS
IN CRVCE D. N. IESV CHRISTI
MAXVME OMNIVM GLORIETVR
ANT. FRANCISCVS GORIVS
PERENNEM HANC
OBSEQVI SVI TESSERAM
PATRONO OPTIMO
OFFERT. DED. CONSECRAT



SANCTAE FIRMANAE ECCLESIAE

ARCHIPRAESVL ET PRINCEPS

OPTIME AMPLISSIME



RVX DOMINICA *quum ſit Pontificum maximum decus, atque ornamentum; hanc ſiquidem ab ipſo conſecrationis die in pectore gerunt ſemper, atque in divinis myſteriis celebrandis ſolemni ritu venerantur, oſculanturque; ſperare mihi licet pergratum fore Tibi* SAPIENTISSIMO ARCHIEPISCOPO & PRINCIPI FIRMANO *Volumen hoc, in quo eiuſdem* VIVIFICAE CRVCIS CHRISTI *veneranda tropaea, Titulus, Inventio, Cultus, Fidei*

propagatio accurate, ac luculenter expenduntur & declarantur. Quod ad me pertinet, probe intelligo, quam ingens decus mihi adcedat, dum praeclarissimo tuo nomine ornatum in conspectum doctorum hominum mittitur. Talis enim, tantusque es propter innumera fere a Te in honorem Dei, atque ad animarum salutem iam edita ingenii eximia monimenta; ob sacram Velitrensem Historiam, Provincialia & Synodalia Concilia Nucerina, Firmana, Homilias, ac Sanctiones admirabiles, quibus Ecclesiasticae disciplinae Canones, Cleri, populique mores incredibili zelo, prudentia, vigilantia restituisti; ob gesta sanctissimae, semperque colendae memoriae BENEDICTI XIII. PONTIF. O. M. *quae aeternitati consignasti; propter eminentem quam possides Iesu Christi doctrinam, ac scientiam; propter dignitates, atque amplissima munera, Apostolicas etiam Tibi a* CLEMENTE XI. *demandatas sacras lustrationes, legationes, atque administrationes, quibus Catholicae Religionis imperium amplificasti; ob vigilias, ac labores, quos pro honore & gloria Apostolicae Sedis summa cum nominis laude, & populorum fructu invicto animo subiisti; propter pietatem singu-*

gu-

gularem, insignem eruditionem, ac morum sanctitatem, ut actum agere videar, si pluribus nitar celebrare scripta tua, rerumque a Te gestarum magnitudinem, ac maiestatem; quae perspectissima adeo sunt, atque omnium ore ita praedicantur, ut lucem luci, & fulgori fulgorem addere velle dubio procul censerer. Quod vero ausus sim secura ac laeta fronte thronum tuae incredibilis humanitatis, ac benignitatis adire, id, ut ingenue fatear, effecit tuus ex fratre INLVSTRISSIMVS *Nepos* ABBAS STEPHANVS BORGIA, *qui eximia instructus omnigenae Eruditionis praesertim Ecclesiasticae copia & adparatu, tam singulari amore, ac tam suavi benevolentia me complectitur, ut hac tenui licet obsequii erga Te mei significatione gratulari Tibi,* OPTIME PRINCEPS, *voluerim, quod tam inclutum germen penes te habeas, lectissimum Musarum alumnum; qui non solum laudabili ratione & conatu tuarum virtutum vestigiis insistit, verum etiam Te exprimit cumulatissime; atque eum omnino Tibi similem futurum mecum sperant omnes, quum adsidue immensa propemodum tuorum exemplorum, ac meritorum luce perfundatur,*

& litterariam Rempublicam editis monumentis egregie inlustrare adsidue studeat, ac satagat. Eum igitur sanctissimo amicitiae foedere mihi iunctum semper & colam, & amabo. Perspectum Tibi est, ARCHIPRAESVL DOCTISSIME, *veteres consuevisse cooptare sibi Patronos, missa ad eos clientelae atque etiam honoris & benevolentiae suae tessera. Vt igitur tuo glorioso fruar praesidio, ac patrocinio, accipe hasce eruditas lucubrationes, quibus* CRVX CHRISTI, *splendidior cunctis astris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, Ecclesiae Dei ornamentum, Praesulum propugnaculum, omnium Orthodoxorum gloria, virga mirabilium Dei, spes, salus, vita, & resurrectio nostra, luculenter extollitur, atque inlustratur: a qua Tibi prospera omnia, vitamque longe diutissimam perpetuis enixis votis supplex efflagito, ac posco.*


Vovebam IV. *Kal. Febr. A.* CIϽ. IϽ. CC. LII.

AE-



AEQVO HVMANOQVE LECTORI SVO


ANT. FRANCISCVS GORIVS



Ltero SYMBOLARVM mearum volumine in lucem edito, SANCTISSIMAE CRVCIS veneranda myſteria proſecutus ſum, ac de MITRATO IESV CHRISTI CRVCIFIXI CAPITE, depromtis ex divinis Eccleſiae Dei theſauris non paucis antiquis ſacris monumentis luculenter diſſerui. Divinum huiuſmodi argumentum in hoc quoque volumine elucidandum cenſui; quod quidem meum conſilium iuvarunt Viri amiciſſimi, de Litteris, & Antiquitatibus optime meriti, quibus pares gratias referre minime poſſum: tam praeclara vero eorum in me, & in litterariam Rempublicam merita grato animo ac memoria recolam ſempiterna. Quid enim iucundius, quid Deo gratius, quam laudibus extollere, praeconiis celebrare, lucubrationibus ornare

DO-

DOMINICAM CRVCEM? quae nobis magnum & ineffabile divinae pietatis opus, & thesauros humanitatis & benignitatis Servatoris nostri IESV CHRISTI aperuit; quae maximum est Catholicae Ecclesiae ornamentum, spes Christianorum, pacis firmamentum, hostium victoria, ara reconciliationis nostrae, clavis regni Caelorum; in calamitalibus amabile praesidium, in adversis propugnaculum, Regum & Regnorum gloria ac tutela; pignus aeternae beatitudinis, salus, portus, requies, & vita iustorum; ut qui nunc seminant in lacrymis, fulgente hoc aeternae nostrae Redemptionis vexillo, ac tropaeo, in exultatione tandem metant. De singulis Opusculis nunc primum editis nihil adtinet dicere, quum scripta sint exquisita eruditione, accurato ordine, iudicio, ac plurimis rebus notatu dignis referta; quorum mox subiectus Index Dissertationum titulos, & clarissima doctorum Auctorum nomina declarat. quae se, suasque curas egregie commendant, Accipe igitur, CANDIDE LECTOR, haec sacra munuscula, & meis curis utere felix.



IN-

INDEX SYMBOLARVM

QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR,

MO-

MONVMENTA SACRA ANTIQVA ADLATA ET INLVSTRATA IN HOC VOLVMINE.



DE

DE TITVLO DOMINICAE CRVCIS ARCHETYPO COMMENTARIVS

DOMINICI M. MANNI
ACAD. FLOR. ETRVSCI
ET COLVMBARI

PETRO ALOYSIO GALLETTIO
ROMANO
MONACHO CASSINENSI
IN
ABBATIA FLORENTINA
PHILOSOPHIAE AC MATHESEOS
PROFESSORI

DOMINICVS MARIA MANNIVS
AMICO OPTVMO
COMMENTARIVM
DE ARCHETYPO
SANCTAE CRVCIS TITVLO
D. D. D.

COMMENTARI INDEX CAPITUM



CAPUT I.

Cap.



DE TITVLO DOMINICAE CRVCIS ARCHETYPO COMMENTARIVS

CAPVT I.

Tituli Sanctae Crucis origo.



Cripturus de adorabili TITVLO posito ſupra Caput DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI in Ligno Crucis ſuſpenſi; illud in ipſo huiuſce lucubrationis limine adnotandum occurrit, haud novum fuiſſe, ſed ex veteri conſuetudine manaſse, ut noxiorum hominum, reorumque cauſa Titulo inſcriberetur; ut ita notum omnibus eſſet, eos meritas luere poenas, iuſtumque ſubire ſupplicium. Conſtat enim Titulum, ſive ſupplicii Cauſam cum apud Graecos,

tum apud Romanos nefariis, ac ſceleſtis hominibus adponi ſolitam: quod praecipue liquet ex Suetonio in Caio c. XXXII. *Romae publico epulo ſervum ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici confeſtim tradidit, ut manibus adſciſſis, atque ante pectus e collo pendentibus, praecedente* TITVLO, *qui cauſam poenae indicaret, per coetus epulantium, circunduceretur.* Et in Domitiani geſtis Cap. 10. *Patremfamilias, quod Threcem Mirmilloni parem dixerat, canibus obiecit, cum hoc* TITVLO ,, *Impie locutus Parmularius* ,, Pro multis vero Martialis erit Lib. I. Epigr. 4. ubi delator traducitur per Vrbis porticus, cum Titulo, in quo crimen falſae delationis, ſycophantiae, & calumniae continebatur:

Turba gravis paci, placidaeque inimica quieti,
Quae ſemper miſeras ſollicitabat opes,
TRADVCTA EST TITVLIS. ——————

Dio Lib. LIV. de ſervo, quem Dominus agi in Crucem iuſsit ,, CVM LITERIS, *quae cauſam mortis aperirent.* Laërtius in vita Canis cognominis: τληγὰς ἔλαβε κỳ ἐγράφας τὰ ὀνόματα τῶν πληζάντων ἐὶς λεόκομα περὶ νεῖ ἐξημμενός. Ideſt: *appenſa collo tabella, cui nomina eorum, a quibus pulſatus fuerat, inſcripta inerant, ſic incedebat.*

II. At inſuetum fortaſse fuit, ac myſterii plenum in Redemptoris paſsione Iudicem in Titulo conſcribendo ludere, & ludendo, quod revera Chriſtus Dominus erat REX IVDAEORVM, apertum facere, referente Ioanne Cap. 19. v. 21. *Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudaeorum: Noli ſcribere: Rex Iudaeorum, ſed quia ipſe dixit: Rex ſum*

Iu-

Iudaeorum. Quibus sane verbis alludere videtur titulus Diptychi eburnei Bonarrotiani: EGO SVM IHS NAZARENVS REX IVDEORVM; de quo infra: ni forte dicamus titulum hunc desumtum esse partim ex aliis eiusdem Evangelii verbis (Cap. 18. v. 5.) *Iesum Nazarenum*; partim ex responso: *Ego sum*.

III. Denique tandem luce clarius est, aliis, qui post Christum, pro ipso Christo, Crucem subierunt, aliquando epigraphen impositam fuisse, aliquando non. Si enim Apostolorum Petri, & Andreae vitam, illorumque martyrii Acta evolvamus, nullum titulum Crucibus eorundem fuisse adfixum legemus. In valvis aheneis Ecclesiae S. Pauli extra muros Vrbis anno millesimo septuagesimo incisis, Simonis Zelotae crucifixio conspicitur, ubi nulla tituli forma est. Affixum quidem aliorum Martyrum Crucibus legimus, ut Eusebius de Attalo Martyre his verbis loquitur: *Circumactus est per amphitheatrum, tabula ipsum praeeunte, in qua Latine scriptum*: HIC EST ATTALVS CHRISTIANVS.

IV. Heic adnotare libet, non tantum titulo literis exarato, sed ex voce praeconis, maiores nostros solitos fuisse delictum reorum manifestare. Mox hic apud Iudaeos quidem invaluit, quemadmodum Maimonides ait: *Ex Iudaeorum enim ritu praeco tantum hominem ad supplicium ducendum praecedebat, clamans „ ille exit occidendus morte illa, „ qua transgressus est transgressione illa, in loco „ illo, tempore illo; & sunt rei testes ille, & „ ille. „ Qui noverit aliquid ad eius innocentiam probandam, veniat, & loquatur pro eo*. Haec Maimonidae verba ex eius Iad-chasaka affert Casaubonus in Exercitat. Anti-Baronianis.


V. Quare Pilatus, qui antea innocentem declaraverat Redemptorem nostrum, publice fassus: *nullam causam invenio in homine isto ex his, in quibus eum accusatis; sed neque Herodes*. Luc. Cap. 23. v. 14 & 15. sic titulum nostrum posuit in excusationem, ac defensionem detestandae sententiae a se prolatae, ac veluti apologiam iniustitiae suae, tribus linguis ad eas, quae in Iudaea erant, frequentiores Nationes, usus est modo in reorum suppliciis alicubi, ut vidimus, consueto. Praestaret fortasse antiquum Delphinati morem in Gallia inquirere; si verum est, ibi Pilati patriam fuisse, utpote non longe a Sancto Valerio nati: quemadmodum scribit suo aevo communem hominum fuisse opinionem Sixtus Senensis in Bibliothecae Sanctae Lib. II. Lugdunensium usum tetigimus supra, ubi de S. Actalo verba fecimus.

C A P V T II.

An unus, vel plures fuerint supra Crucem Domini nostri Tituli.

NOvam quidem, nec antea auditam opinionem prodere visus est Samuel Reyherus cum nuncupans dissertationem suam, alioquin pereruditam: *De Crucifixi Iesu Titulis*; tum in ea inquiens: *Trilinguem illam Inscriptionem tribus diversis tabulis inscriptam fuisse existimo*; ubi hanc subdit delineationem:

Quod



Quod quantum a veritate diſtet, ex his, quae mox dicemus, conſtabit.

C A P V T III.

Tituli Dominicae Crucis in ſacris Evangeliis mentio.

I. DIvum Matthaeum Apoſtolum primum omnium Evangeliſtarum Evangelium ſuum Hebraice ſcripſiſse, conſtans Sanctorum Patrum opinio eſt. Verba eius de titulo Crucis Cap. XXVII. v. 37. haec ſunt. HIC EST IESVS REX IVDAEORVM; & ut Graecus Textus ait: ΟΥΤΟΣ ΕΣΤΙΝ ΙΗΣΟΥΣ Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ.

II. Poſt Matthaeum Latine ſcripſit Evangelium Marcus, qui rem ſic retulit Cap. XV. v. 26. *Erat titulus cauſae eius inſcriptus*: REX IVDAEORVM; quod Graece legitur: Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ.

III. Poſt Marcum memorat Eccleſia Lucam. Ipſius ſunt verba Capitis XXIII. v. 38. *Erat autem & ſuperſcriptio ſcripta ſuper eum litteris Graecis, & Latinis, & Hebraicis*: HIC EST REX IV-

DAEORVM ; In Graeco Textu : ΟΥΤΟΣ ΕΣΤΙΝ Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ. Ita & Pſeudo-Evangeliſtae. Hac formula uſus eſt Sedulius in Carm. V. mox adferendo.

IV. Sequitur denique Ioannes, inquiens: *Scripſit autem & titulum Pilatus, & poſuit ſuper Crucem. Erat autem ſcriptum;* IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. ΙΗΣΟΥΣ Ο ΝΑΖΩΡΑΙΟΣ Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ. Cap. xix. v. 19.

CAPVT IV.

Evangeliſtarum varietatis, in eo, qaod ad Titulum attinet, cauſae.

IN Evangeliorum Codice quodam membranaceo noni, vel decimi ſaeculi elegantiſsime exarato, pulchriſque picturis, quantum ſaeculorum barbaries ſinebat, exornato, qui apud me exſtat, haec verba leguntur pro Matthaei vita adpoſita, & aliis Codicibus conſueta: *Matthaeus ex Iudaea, ſicut in ordine primus ponitur, ita Evangelium in Iudaea primus ſcripſit.* Hinc eſt, quod Hebraica, ſeu Syriaca, quae tunc apud Iudaeos in uſu erat, illud lingua exaraſse, teſtes lucupletiſsimi ſunt Irenaeus, atque Origenes, necnon Papias, qui Apoſtolorum Diſcipulus uno omnium ore dicitur; quamquam a Viro doctiſsimo Ioanne Philippo Barateerio in ſua Diſquiſitione Chronologica de ſucceſsione Epiſcoporum Romanorum, non Ioannis Evangeliſtae, ſed alterius Ioannis diſcipulus credatur.

II. Quoad Matthaei Epigraphen triumphalem attinet, Evangelium eum ſcripſiſſe ex Ioannis, vel

Ma-

Mariae, vel Iosephi ab Arimathaea, qui crucifixioni interfuerant, relatione credendum est. Scimus enim illum, ut & reliquos Apostolos, fugisse, uti ex Evangelio eodem habemus: *& relicto eo fugerunt*. *Marcus* (ut vitam ex eodem supradicto Codice proferam) *evangelistandi, & Petri in baptismate filius, atque in divino sermone discipulus Sacerdotium . . . . . . agens secundum carnem Levita; conversus ad fidem Christi Evangelium in Italia scripsit, ostendens in eo, quid & generi suo deberet, & Christo*. Divus Hieronymus vero de Viris illustribus agens: *Iuxta, quod Petrum referentem audierat, rogatus Romae a fratribus breve scripsit Evangelium*. Papias tandem apud Eusebium Histor. Eccl. cap. XXXIX. *Marcus, quum Petri interpres esset, quaecumque memoriter retinuerat, diligenter litteris tradidit, ordinem tamen eorum, quae Christus dixerat, aut fecerat, minime servans. Ipse enim Dominum non audiverat, neque eum sequutus fuerat*. Qua de re patet, eum titulum Crucis scripsisse ex illa traditione, quam a Petro acceperat.

III. De Luca supercitatus Codex haec habet: *Lucas Syrus Antiocensis, arte medicus, discipulus Apostolorum, postea Paulum secutus usque ad confessionem eius, serviens Domino sine crimine; nam neque uxorem umquam habens, neque filios, septuaginta quatuor annorum obiit in Bithynia plenus Spiritu Sancto. Qui cum iam scripta essent Evangelia per Matthaeum quidem in Iudea, per Marcum in Italia, Sancto instigante Spiritu, in Achaiae partibus hoc scripsit Evangelium*. Narrat Hieronymus, veteres tradidisse, Divum Lucam magis Graecas litteras calluisse, quam Hebraeas; & ideo Evangelium Graece scripsisse creditur. Ipse autem (quod ad nos adtinet) in principio sui Evangelii ea

ſcribere aggreſsum fuiſſe ait, quae ab aliis audierat.

IV. Solus Ioannes diſcipulus ſtans, adfuit ſemper Paſſioni Domini, ſemper oculis in Crucem, Dominumque intentis, iuxta illud eiuſdem Ioannis Cap. 19. v. 35. *Et qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius; & ille ſcit quia vera dicit.* Hic quidem quae viderat, quae propriis auribus audiverat, ſcripſit. Scripſit etiam Ioannes, quae ceteri Evangeliſtae ſilentio ſupradictis ex cauſis praetermiſerant; quamquam id fecerit poſteaquam Apocalypſin in Pathmos inſula exaraverat. De quo antiqua Evangeliſtarii mei verba haec ſunt: *Hic eſt Iohannes Evangeliſta unus ex Diſcipulis Domini, qui virgo electus a Domino eſt, quem de nuptiis volentem nubere vocavit Dominus. Cui virginitatis in hoc duplex teſtimonium in Evangelio datur, quod & prae ceteris dilectus a Domino dicitur. Et huic Matrem ſuam de Cruce commendavit Dominus, ut Virginem Virgo ſervaret. Denique manifeſtans in Evangelio quod erat ipſe incorruptibilis Verbi opus inchoans ſolus Verbum carnem factum eſſe, nec lumen a tenebris comprehenſum fuiſſe teſtatur: primum ſignum ponens, quod in nuptiis fecit Dominus. ut oſtendens quod erat, ipſe legentibus demonſtraret. Quod ubi Dominus invitatus deficere nuptiarum vinum debeat, ut & veteribus immutatis, nova omnia quae a Chriſto inſtituuntur, appareant. Hoc autem Evangelium ſcripſit in Aſia. poſteaquam in Pathmos inſula Apocalypſin ſcripſerat.* Qua vero lingua an Graeca, vel Hebraica, contentio eſt inter doctos. Illud certum, quod Ioannes a Graecis appellatur Theologus, ſic enim in eorum Liturgia ad diem 25. Septembris: Τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Ἰωάννου Θεολόγου; in Graeco

corum Menologiis, ac etiam in ſacris Lipſanorum Thecis; de quo plura Celeberrimus Ioannes Lamius in Opere de Eruditione Apoſtolorum pagg. 219. 223. 230.

CAPVT V.

De vera, ac recta Tituli forma.

I. EX praemiſſis facile deducitur, quod inter Titulos ab Evangeliſtis deſcriptos, ille verior, & integrior credendus eſt, qui a Ioanne, unico de viſu teſte, in Evangelio ſuo adfertur; idque magis, quod cum eo, quem Stephanus ab Infeſsura Hiſtoriarum ſui temporis Scriptor, Romae vidit, ut ſuo loco dicemus, omnino convenit.

II. Non ideo eſt quod veritati varietas textuum praeiudicium vel minimum adferat, ſi bene rem perpendamus; etenim in cuiuſvis Evangeliſtarum verbis eſſentia tituli, ſeu dici mavis ſupplicii praetenſa cauſa expreſſe ineſt, nempe formula *Rex Iudaeorum*; per quam Spiritus Sanctus, qui Pilatum ad hanc inſcriptionem, ac ne quidem amovendam ac delendam adegerat, ſignificare voluit, quod Chsiſtus per Crucem ſuam mox accepturus erat regnum ſuper omnes Iudaeos, ſcilicet, iuxta nominis Iudaici interpretationem, ſuper omnes confitentes, qui Deum verum toto terrarum orbe confitentur, & colunt. Maxime vero, quia ex ipſo genere ſuo ac progenie ex Regibus, iure ei Iudeae Regnum competebat: quod obſervant, ac perſpicue teſtantur Sancti Patres tum Graeci, tum Latini, qui de Genealogia Redemptoris luculentiſſime diſſerunt. Verum enimvero haec formula Hebraeis ni-

nimis odiosa fuit, & quantum in eis fuit, illam mutare satagerunt, clamantes: *Noli scribere Rex Iudaeorum; sed quia ipse dixit, Rex sum Iudaeorum*. Cap. 19. v. 21. per quam ipsi antea Iesum vehementius insultaverant, dicentes: *Ave Rex Iudaeorum*.

III. Ergo *scripsit & titulum Pilatus, & posuit super Crucem. Erat autem scriptum* IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM &c. *& erat scriptum Hebraice, Graece, & Latine*. In Sepulchro Gordiani titulus, sive elogium scriptum fuit literis Graecis, Latinis, Persicis, Indicis. Adhibuit autem Pilatus triplex idioma (res non omnino nova) ut titulus a quamplurimis facile legi posset: Latino sermone tum ad servandam maiestatem Romani Imperii; tum quia communior opinio est sententiam a Pilato Latine pronuntiatam esse, quemadmodum Latine ab eo scriptam fuisse perhibent epistolam ad Tiberium de sententia, morte, & resurrectione Domini, ab Eusebio in secundo Historiae Ecclesiasticae memoratam: Hebraice, ob locum, in quo supplicium sumebatur: Graece ob maximam Hellenistarum turbam, quae ad Pascha convenerat. Prudentius in Apoth. adversus Gentes:

Agnoscat Iudaea legens, & Graecia norit,
Et venerata Deum praecenseat aurea Roma:

Hac item ratione salutis nostrae Auctor, & Princeps Cruci pro nobis adfixus sanguine suo innocentissimo ob proximitatem sacrororum membrorum consecravit tres illas linguas eruditioni nostrae destinatas, Hebraicam, Graecam, & Latinam; maxime si, ut recentiores Scriptores autumant, Crux cum titulo non erecta, sed in terra, dum Iesus confige-

figeretur, iacuit; unde trilingue ipsi Titulo aptari possit illud elegantissimi Vidae:

Capitis tibi credita cura ——————
Tam cari! ——————————

Hinc Nicolaus Papa I. Epist. ad Michaëlem Imperatorem in Latinam Linguam insultantem; *quae cum Hebraea, atque Graeca in Titulo Domini a reliquis discreta, insignem principatum tenens omnibus nationibus praedicat Iesum Nazarenum Regem Iudaeorum*: ita tamen, ut nobilior locus, ac proinde prior ille sit visus, qui Christo vicinior esset. Sed prae omnibus antiquis sacris Scriptoribus, qui venerandum CRVCIS Titulum descripserunt, praecipue memorandus est Coelius Sedulius, Christianus Poëta, qui Carm. Lib. V. v. 196. illum ita expressit:

Scribitur & Titulus: HIC EST REX IVDAEORVM,
Quo nihil a Deitate vacet: nam caelitus actum
Hoc Hebraea refert, hoc Graeca, Latinaque lingua:
Hoc docet una Fides unum ter dicere Regem.

C A P V T VI.

Tituli materia exquiritur.

I. OPinio Nicolai Lyrani, seu de Lyra, ad Epigraphen nostram pertinens, perpendenda prorsus videretur, eo quod is erat origine Iudaeus, Rab. Samuel Levita dictus, atque inter Hebrai-

braicos Rabbinos prima litterarum fundamenta posuerat; quamquam postea ad Christianam Fidem conversus, Minoritarum habitum in Coenobio Vernoliensi anno circiter 1292. induisset. Ratus enim ipse est, singulari quidem opinione, causam, seu titulum Iesu Christi in charta fuisse scriptum, atque eandem chartam Tabulae ligneae super Caput Christi appensae adfixam.

II. Sed pace dixerim tanti Scriptoris, Veteres omnes, qui de inventione Tituli una cum Cruce egerunt, chartae nunquam meminerunt, sed ligni. Adde quod Lyranus pretiosum hoc Passionis Christi monumentum neque videre, neque de eo vel fama, vel auditu quidquam accipere potuit; quum repertum sit anno MCCCCXCII. ipse autem obierit, iuxta Guilielmum Cave de Scriptoribus Ecclesiasticis, anno MCCCXL. die 23. mensis Octobris, vel ut legitur in epitaphio ipsius, quod habetur initio Glossae ordinariae, ultima Octobris eiusdem anni.

III. Chartaceum fuisse titulum nostrum credidit Lyranus, fortasse eo quod eius aevo, mitram, ut aiebant, chartaceam supra reorum caput ponere pluribus in locis in usu erat, in qua item caussa supplicii scribebatur. Huiusce consuetudinis penes nationem nostram, afferre possum auctoritatem Matthaei Villanii, qui ad annum 1354. ait: *Per grazia commutò la pena, e colle mitere in capo gli fece dicollare*. In absolutione, quae in Codice VV. Bibliothecae Strozianae legitur „ ser Petraccoli „ ser Parentii ab Ancisa, Francisci Petrarchae pa- „ tris, qui condemnatus erat *in confiscatione bono-* „ *rum &c. ex eo quod dicebatur turbasse pacificum* „ *statum Partis Guelphae civitatis Pistorii*; conce- „ ditur, quod ipse a carceribus duci posset ad Tem-

„ plum

„ plum S. Ioannis Baptiſtae Florentiae ſine *mitera in* „ *capite*. Triennio vero poſt mortem Lyrani, nempe anno 1343. in pariete exteriori Turris Poteſtatis Florentiae, Thomae pictoris, cognomento Ioctini, penicillo depictus eſt Dux Athenarum Gualterius, patriae noſtrae Tyrannus, una cum aſſeclis, capite mitra chartacea circumdato, eaque ad maiorem ignominiam ſolito altiore, in qua ſcriptum erat, Baldinuccio teſte:

Avaro. Traditore. e poi Crudele.
Luſſurioſo. Iniuſto. & Spergiuro;
Giamai non tenne ſuo Stato ſicuro.

Item Bonaccurſus Lapi Ioannis, qui anno 1388. ſecretiora Communis Florentiae conſilia inimico revelaverat, in pariete exteriori domus Executoris capite item mitra circumdato, & cauſa ipſius ſcripta, depictus eſt, nempe:

Superbo. Avaro. Traditor. Bugiardo,
Luſſurioſo. Ingrato, e pien d' inganni
Son Buonaccorſo di Lapo Giovanni.

Hinc factum eſt, opinor, quod a pluribus recentioribus Pictoribus chartaceus titulus ſupra Ieſu Chriſti caput expreſſus ſit, poſteaquam Lyrani ſcripta publici iuris ſaeculo decimoquincto ubicumque eſſe ceoperunt. Hi vero, qui in Fide deliquerant, mitris capiti impoſitis publice exponebantur, in quibus Daemones nigro colore picti erant: cuius poenae, atque ignominiae exſtat Florentiae penes Tribunal Officii Inquiſitionis in pariete expoſitum pictum monumentum. Ad haec uſque tempora rei non ſolum mitrati a carnifice & lictoribus ducuntur per ur-

urbem; verum etiam crimen, quo cruciantur, in pectore, vel aliquando etiam in tergo, chartaceo titulo maioribus litteris expressum gestant.

CAPVT VII.

Ligneum fuisse Titulum, atque literis incisis scriptum probatur.

I. IGnotum patet fuisse Lyrano assertum Nicephori Calixti, qui Lib. VIII. C. 29. ait: *Tres sparsim disiectae Cruces, & Tabula praeterea alba inventa, in qua diversis literis Pilatus Regem Iudaeorum scripserat.* Item illud Sozomeni qui Lib. II. Cap. 1. narrat, tres inventas ab Helena fuisse Cruces, *& aliud ligniculum separatum, quod tabulae gesserat similitudinem, verbis, & litteris non Hebraicis solum, verum etiam Graaecis, & Latinis scriptum: quae verba, & literae non aliud complectebantur, quam Iesum Nazarenum Regem Iudaeorum*: quod dubio procul titulus est. Hinc Marcus Hieronymus Vida Christiad. Lib. V. ait:

Tum supra caput, & nomen, patriamque, necisque
Inscripsere notis variis in stipite causam.

II. Titulus ergo sive e cedro, vel buxo, sive quercu, vel oliva, aut alio ligno, non chartaceus fuit. Beda in Collectaneis: *Crux Domini de quatuor lignis facta est. Buxus non fuit in Cruce, nisi tabula de illo ligno super frontem Christi fuit, in qua conscripserunt Iudaei titulum.* Guilielmus Durandus hos versus refert:

Sal-

Pes Cedrus est, truncus Cupressus, Oliva supremum;
Palmaque transversum, Christi sunt in Cruce Lignum.

Salmasius de modo usuratum, inquit: *Stultum est imaginari tabellas illas, quae elogia damnatorum habebant* (contra Danielem Heinsium scribere videtur) *sculpi solitas; & longe magis imaginosum putare, eo genere caelaturae, quae anaglypha dicebatur, caelatas fuisse, qua exstantes literae offenderentur. Tabellae erant ligneae, dealbatae gypso, vel cerussa, in quibus literae ex encausto, vel atramento scribebantur; Graeco λευκώματα appellant; quas alii σανίδας γύψῳ διηλειμμένας interpretantur:* alii σανίδας *simpliciter* λελευκωμένας. Album huiusmodi tabula Latinis dicitur; unde *Album Praetoris*, de quo mentio habetur Pandect. Lib. II. tit. 1. leg. 7. *in album referre*: consuetae locutiones apud Latinos. Omnes tabellae, libelli, tituli in publico proponendi, aut affigendi, ita erant dealbati, & scripti. Titulus noster encausto rubeo tinctus erat, ut alibi ostendemus; quamquam color hodie evanuerit. Tituli etiam librorum minio scribebantur, unde Ovidius:

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Clar. Vir Petrus Franciscus Fogginius in Virgilii Mediceo-Laurentiano Codice litteras minio coloratas, tales nunc interdum apparere testatur, ut olim ex nigro atramento fuisse videantur. Sic tituli nostri color sanguineus, triumphalis, & sacer evanuit, vel ob caducam fugientium colorum naturam, vel frequentiorem exhibentium contrectationem, vel ex in-

infinitis adorantium oſculis, vel nimia ſaeculorum vetuſtate.

CAPVT VIII.

Tituli oblivio.

I. PLuribus ab hinc ſaeculis in oblivione ſtetiſſe Inſcriptionem noſtram credibile videtur; eo praeſertim, quod probro priſcis Chriſtiſidelibus vertebatur Chriſtum Crucifixum colere. *Crucifixum praedicare*, *Iudaeis*, ut ait 1. Cor. Apoſtolus, *ſcandalum* erat, *gentibus ſtultitia*: donec ſignum Crucis de inſtrumento ignominiae factum fuit venerabile decus Eccleſiae; donec, inquam Conſtantini Imp. oculis Crux Domini ſplendorem ſole clariorem emittens in aëre apparuit. Hinc Auguſtus monitus ſe in hoc Signo victurum, Crucem ad illius ſimilitudinem, auro, gemmiſque refertam fieri iuſſit, qua, ubi praelia cum hoſtibus committeret, uti poſſet: indeque Vrbe immaniſsima tyrannide liberata, Deo Liberatori gratias agens in medio eiuſdem Vrbis ſupra tropaeum venerabile Crucis ſignum figi imperavit. Hinc eſt quod ad fidem venientes Crucem non opprobrii, ſed honoris; non ſupplicii, ſed Victoriae; non paenae, ſed praemii, ſignum eſſe intelligerent.

CAPVT IX.

Tituli prima inventio.

I. DIvinis inde viſionibus Helena Auguſta Conſtantini mater commota, ſanctiſſimae Crucis Lignum apud Hieroſolymam quaerere ſtatuit; quod tandem poſt aliquot annos reperit, ut narrant Ruffinus, Socrates, atque Sozomenus, necnon Ambroſius in Concione de obitu Theodoſii Imperatoris. Id contigiſſe putat Baronius anno proximo poſt Concilium Nicaenum, ſcilicet 326. quamquam tempus anticipare videntur Critici recentiores. Martyrol. Labeco-Col. ait: *Inventio huius Sanctae Crucis facta fuerat tempore Euſebii Papae, & Confeſſoris*. Is ſedit in Pontificatu ab anno 309. ad 311. Ideo inſtituit Feſtum huius Inventionis ab univerſis Eccleſiis ſolemniter celebrari.

II. Titulum ligneum una cum Cruce repertum ab Helena Auctores ſupra citati adfirmant, inter quos Sozomenus, *cum litteris Hebraicis, Graecis, & Latinis*. Hinc ſcriptum fuit de antiquo ritu Miſſae: *Miſſa tribus linguis cantari praecipitur, Haebraica, Graeca, & Latina, ſicut & Titulus in paſſione Domini ſcriptus fuiſſe legitur*. Gemm. animae de ant. rit. Miſs. l. 1.

Verum Ambroſii verba prope contemporanei haec ſunt: *Invenit quia in medio praelatus Titulus erat: Ieſus Nazarenus Rex Iudaeorum. Hinc collecta eſt ſeries veritatis; Titulo Crux patuit Salvatoris*.

CAPVT X.

In Basilica Heleniana, seu Sessoriana conditur.

I. FErunt Reginam sanctissimae Crucis repertae, & ab ipsa tribus partibus divisae, unam partem, cum Titulo eiusdem Crucis, argenteis thecis inclusam ad Romanam misisse urbem, atque in Basilica Sessoriana, seu mavis Heleniana, vel S. Crucis in Hierusalem, collocari imperasse.

II. Romae in Sacello huius Basilicae, quod S. Helenae nuncupatur, musivis literis legitur:

HVNC ERGO LOCVM REGINA IPSA MVLTIS CHRISTI ET SANCTORVM RELIQVIIS ORNAVIT. ET A BEATO SYLVESTRO XIII. KAL. APRILIS CVM MVLTIPLICI PECCATORVM VENIA VISITANTIBVS INDVLTA CONSECRARI OBTINVIT.

Et paullo post:

TITVLVS VERAE CRVCIS AB HELENA ROMAM DELATVS &c. SVPRA ARCVM MAIOREM ISTIVS BASILICAE IN PARVA FENESTRA. PLVMBEA THECA MVRO LATERITIO CLAVSVS &c.

Verum enimvero haec memoria nonnisi sub finem saeculi XV. posita est, ut infra adparebit. Reliquum Honuphrii Panvinii, atque Ioannis Severani

ni opinio eſt, Titulum ſupra arcam huius Eccleſiae ab Imperatore Valentiniano III. conlocatum fuiſſe, poſtquam ipſe anno 427. ad Imperium evectus fuit.

III. Qua vero de cauſa Titulus in arcu maiori Baſilicae Seſſorianae abſconditus ſit, in promptu eſt ex reſponſo Honorati a S. Maria de Corpore D. Marci. *Veneti* (inquit) *timentes, ne Corpus S. Marci ſibi auferretur; ita in ſumptuoſa recens erecta Baſilica eadem ſacra pignora collocarunt, ut ubi locorum in ea poſita eſſent, penitus ab aliis ignoraretur*. Praeterquamquod ſacrae Reliquiae maioris venerationis cauſa in altiori loco reponebantur.

CAPVT XI.

Quomodo Crux venerari, & ſolemniter ubicumque coli incoeperit.

I. POſtquam Conſtantinus M. Imperator Crucis imaginem & publice deferri, & venerari iuſſit unde lege lata poſtmodum vetitum eſt, ne ſuppliciis improborum adhiberetur, ut Sextus Aurelius Victor, Auguſtinus, Caſſiodorus, aliique notarunt; hinc lubentiſsime ipſi Fideles nacti occaſionem, eandem Crucem etiam in Litaniis, quas nunc proceſsiones, ſeu ſupplicationes appellamus, tanquam Chriſtianae Religionis vexillum palam deferre coeperunt. Quumque Litaniae ante celebrationem indicerentur, ut populus ad ſtatutam diem, ſtatutumque locum conveniret, ipſe populi actus ſtandi, ſive permanendi in deſignato loco, ſtatio appellatus fuit, a militum ſtatione ducta metaphora;

Fidelium enim coetus militans Ecclesia dicitur; & vita hominum militia super terram hanc vocatur. Quare ficut ipse standi actus, statio denominatus fuit; ipsa etiam Crux, idem stationalis nomen sortita est.

II. Crucem, quae in supplicationibus praecedebat, stationalem appellatam fuisse arguitur, ex pluribus testimoniis, primum Anastasii Bibliothecarii in Vita Leonis III. qui ad Petri solium ascendit anno Redemptionis 795. quum de Carolo Magno referat, eundem in Basilica Salvatoris Domini, seu Constantiniana, Crucem obtulisse cum gemmis: quam Pontifex in Letania praecedere constituit secundum petitionem ipsius piissimi Imperatoris. Quae quum postmodum ob eius pretiositatem a latronibus praedata fuisset, Leo IV. successor alteram, non absimilem refecit, ut idem Bibliothecarius in eiusdem Pontificis vita enarrat, inquiens: *Crucem ex auro purissimo, & mirae magnitudinis, margaritis, & gemmis hyacinthinis, & prasinis utiliter ornavit, & ad usum pristinum Sanctae Dei Romanae Ecclesiae mirifice decoravit.* Aliam Crucem Carolum Magnum dono dedisse Basilicae S. Petri, auctor est Cornelius Curtius Augustinianus in suo de Clavis Dominicis Tractatu.

III. Vsus vero eiusdem in processionibus desumitur ex auctoritate praestantissimi Ioannis Mabillonii, qui in suo Museo Italico Tom. II. Ordinem Romanum sic refert: *Primicerius cum Schola, & Subdiaconi Regionarii, & Acholythi, cum Cruce stationali S. Petri levant inde Crucem cum collecta processionali, cantando usque ad Sanctam Mariam Maiorem.* Narrat hunc ordinem Benedictus Vaticanae Ecclesiae Canonicus, qui in principio saeculi XII. floruit. Vbi notandum obiter, quod

do-

doctissimus, & Clarissimus Ioannes Lamius in sue Hodoeporico observavit in Codice membranaceo xv. saeculi ex antiquiori ritu, illum, qui Litanias cantabat *Magiscolum* appellari consuevisse. *Magiscola* apud Du-Cangium est Scholae Praefectus, dignitas in Cathedralibus. In Actis Sanctorum T. iv. mensis Iunii legitur: *Obertus Praepositus, & Ogerius Scholasticus, vulgo Magiscola, eiusdem Cathedralis Ecclesiae*. In Regula consueta Toribii Archiep. Limae Tom. iv. Conc. Hispan. legi potest: *Scholasticus, vulgo Maestre Scuela, huius sanctae Ecclesiae curam habebit, ut Diaconus, & Subdiaconus antequam legant Epistolam, vel Evangelium, illa praevideant coram ipso*. Hinc in sigillo xiv. saeculi Musei Morellii, exprimente Angelum in dextera manu baculum gestantem, cuius summitas ad instar Crucis, *Minus Magisquolus* nominatur.

IV. Sed, ut ad propositum argumentum redeam, in Liberiana Basilica, aliam fuisse stationalem Crucem ex Paulo de Angelis in eiusdem Basilicae descriptione colligimus; cuius verba haec sunt Lib. viii. Cap. I. *Crux una magna de ligno cooperta argento, quae portatur per Litanias*.

C A P V T XII.

Tituli in stationalibus Crucibus observantur.

I. Crucium stationalium, utpotè antiquissimarum exemplaria delineanda curavit doctissimus Ioannes Ciampinius in veteribus Monimentis, eaque sub oculis posuit. Verum aliquae earum

rum imaginem Chriſti Cruci adfixi rationibus ab Arringhio, aliiſque adductis, nec habent, nec habere poſſunt; ideoque tituli formam exhibere nequeunt.


II. Ex iis unam ſeligo, quae, ſi non ſtationalis fuit, illam ſaltem cum ſtationalibus eamdem redolere antiquitatem, auctor eſt ipſe Ciampinius, qui ſcribit eam accepiſſe a rerum antiquarum, & hiſtoriae naturalis, & patriae ſolertiſsimo indagatore Baccio Ptolomaeo Senatore Florentino, ab anno ſcilicet 1689. in quo Ptolemaeus Senator electus, ad 1694. in quo diem ſuam obiit; cuius prototypus adſervabatur olim in Sacrario Collegiatae noſtrae Eccleſiae S. Martini Gangalandi; & ut fama ferebat, exſtiterat in Eccleſia S. Michaelis ad Montem Orlandum, poſtea eidem Collegiatae unita, quae vulgo *Santa Lucia della Laſtra a Signa* nuncupatur. Haec Crux exſtat hodie in Muſeo celeberrimi viri, ſemperque laudabilis Antonii Franciſci Gorii, Florentini S. Ioannis Baptiſterii Praepoſiti. In ea igitur ſiglis frequentiſsime ſaeculo nono uſurpatis (ut aſſerit doctiſsimus Nummi aerei Muſei Victorii explanator, Franciſcus nempe Commendator Victorius, pro titulo in utraque parte Graecis verbis inciſum eſt IC. XC. Porro, de Nomine Ieſu Chriſti ut plurimum per has notas in antiquis nummis, contracto, agit Cangius in Diſſertatione de inferioris aevi numiſmatibus. *Verum ſaepe etiam apud alios vetuſtarum rerum illuſtratores reperitur Nomen Ieſu contractum per haſce notas* IC. XC. *circa imagines Ieſu Chriſti*. Ita lego apud Ciampinium agentem de muſivis operibus aliquando exiſtentibus in apſide, ſive Tribuna Vaticanae Baſilicae veteris.

III. In alia item adſimili ſtationali Cruce antiquiſ-

quiſsima penes doctrina, & eruditione clariſs. Ioſephum Mariam Brocchium, quae olim fuiſſe creditur ad uſum Eccleſiae S. Martini ad Montes Mucellanae provinciae, nota duntaxat inciſa viſitur IHS, lineola ſuperducta, non cruce. Ad oſtendendam huiuſmodi ſtationalis vexilli antiquitatem referre libet, quae in Diſſertatione de Monogrammate Sanctiſsimi Nominis Ieſu, auctore ſupralaudato Victorio viro eruditiſsimo, opportune legitur; nempe Amalarium Epiſcopum ſcriptorem IX. ſaeculi per epiſtolam petiiſſe ab Epiſcopo Iona: *Pater intimat nato, quibus notis inferius figuratis rectius videatur vobis pingi nomen Ieſu*. IHC. *an* IHS. Cui ille: *ſicut* X *&* P (nempe *chi*, & *rho*) *Graecis litteris, & alia qualicumque Latina convenienti ſuperioribus, ſcribitur nomen Chriſti, ita* I, & H, *addita convenienti Latina, ſcribitur* IHS.

IV. Non admodum diſsimili modo, pro titulo, legitur XPS IHS in Cruce pervetuſtae thecae, quae reperitur in Primatiali Eccleſia Piſana, in qua adſervantur Reliquiae de Menſa, ac de Sepulchro Chriſti Domini, quam videre eſt apud Martinium in Theatro Baſilicae Piſanae.

V. Nec antiquioribus ſolummodo ſaeculis Ieſu Nomen Cruci ſuperimpoſitum. Nota eſt Crux litterata Sancti Benedicti apud Camaldulenſes, alioſque Monachos in uſu, cuius initium ſaltem ex rythmicis verſibus, quibus conſtat, deſumi poteſt.



in

in qua ultra angulares figlas, quae valent *Crux Sancti Patris Benedicti*; significare aiunt initiales literas: *Crux semper sit mihi lux. Non Draco sit mihi dux*. Circumcirca vero. *Vade retro Satana. Non suade mihi vana. Sunt mala quae libas. Ipse venena bibas*. Huic ergo Cruci IHS; ut in Cruce stationali Mucellana superimposita visitur.

VI. Crux item aenea, ac literata, stationalis ad instar, oblata iam fuit a Constantino quodam Ecclesiae Monasterii Rosarnensis in Calabria in honorem Deiparae Virginis, quae Roberti dicitur, ut ex ipsius literis, duobus iambis conclusis, depraehendimus. Sed ad quod saeculum pertineat Inscriptio, non ita facile determinari potest, ut ait in Epitome Graecae Palaeographiae Gregorius Placentinus eruditissimus, qui eam retulit eiusdem Operis Cap. 4. Iambi sunt:

CΟΙ ΤΗ ΠΑΝΑΓΝΩ ΜΗΤΡΙ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΛΟΓȣ

ΠΡΟCΗΞΕ ΚΩΝCΤΑΝΤΙΝΟC ΕΙC ΠΛΟΙΩΝ ΛΥCΙΝ

hoc est: *Tibi purissimae Matri Dei Verbi obtulit Constantinus in navium solutionem*.

CAPVT XIII.

Tituli defectus in stationalibus Crucibus.

I. DEnique ex Crucibus stationalibus illa quoque ad Titulum examinanda sese offert, quae a Cornelio Curtio de Clavis Dominicis profertur,

Ba-

Basilicae S. Petri, ut supra innui, donata. Eam cum imagine Christi, aliasque similes, aut antiquiores, vel ignorantia artificum picturam, & sculpturam negligentium, vel alia de causa, omni prorsus Titulo carere perspicuum est. An sedulitate primorum baptizatorum? qui quum essent, ut facile percipi potest, aliquoties Iudaei, ludibrio haberent illud *Rex Iudaeorum*; unde *Noli scribere Rex Iudaeorum*. Chrysostomus Hom. 84. in Ioan. *Erat Iudaeis offensus, propterea ignominia hac eos afficere voluit* (scil. Pilatus), Nicolaus Pontifex huius nominis primus in Epistola ad Michaelem Imperatorem, ait: *Quem Titulum multi Iudaeorum corrumpere voluerunt, &c. sed minime potuerunt; scriptum quippe divinitus in Libro Psalmorum fuerat: Ne corrumpas Tituli Inscriptionem*. Quum praeterito saeculo invitis Florentinis Iudaeis imago Redemptoris Cruci adfixi extra Florentinam portam S. Frigdiani depicta fuisset (de qua fuse Baldinuccius, aliique) e conspectu agri eorum sepulturae destinati; memini me legisse, non tam sacrosanctum Cadaver, quam Epigraphen superimpositam, eorum agitationi, ac rumori causam dedisse, atque demum eosdem agrum reliquisse. In Municipio Principatus Hennebergici Divo Henrico consecrato, qui vulgo *Henrichs* nuncupatur, Samuelis Reyheri patria, scelus olim horrendum commissum esse Samuel ipse testatur: inquiens: *Incolae signum Christi Crucifixi sculpendum curarunt. Cur nemo Christianus ob barbariem istorum temporum Inscriptionem Hebraicam adornare posset; ipsi tamen secundum Evangelistas trilinguem desiderant titulum. Vnus ex Municipibus Francofurtum ad Maenum proficiscens, Iudaeum, uti coniiciunt, conducit, qui Inscriptionem Hebraeam adponeret. Iudaeus*

daeus optatum virus suum maledictum in semper benedictum Salvatorem nostrum evomendi, nactus occasionem prompte annuit, & mercede accepta, Inscriptionem Hebraicam exhibuit, quam una cum Graeca, & Latina sine ulteriori inquisitione Cruci affigunt. Circa annum huius saeculi (XVII.) *triginta avunculus meus magnus D. Samuel Zehnerus S. Th. D. & Gymnasii Schleusingensis Professor, aedem antea dictam visitans, & perlustrans, inter alia in blasphemam istam inscriptionem incidit, cum stupore legit, iustoque zelo actus, tabulam famosam a Signo Crucis removeri iussit &c.*

II. Quod autem primi Christianorum Hebraei, non Gentiles ut plurimum fuerunt, adeo verum esse volunt, ut Iudaeorum nomine sive Graeci, sive Latini Scriptores Christianos appellare consueverint. Doctissimus Petrus Franciscus Fogginius de D. Petri Itinere, & Episcopatu agens, scribere non dubitavit: *Apud Ethnicos antiquissimis illis nascentis Ecclesiae temporibus, cum Iudaeis ipsis Christiani facile confundebantur*. Exerc. VI. *Et nullum fere aliud inter Iudaeos, & Christianos discrimen intercedere existimabant ea tempestate Gentiles, quam quod inter ceteras Iudaeorum sectas intercedebat*. Exerc. V. Idipsum confirmat Edictum illud Claudii Caesaris, quo e Romana urbe eiecti sunt Iudaei omnes, qui, ut Suetonius scribit, *impulsore Chresto assidue tumultuabantur*. Orosius vero Hist. lib. VII. pondus adauget. *Me magis Suetonius movet, qui ait hoc modo; Claudius Iudaeos impulsore Christo assidue tumultuantes Roma expulit*. Et revera nomen Christianorum non tam cito ubicumque sortitos esse credam; sed circa Neronis tempora, cuius edictum legitur his verbis conceptum. *Quisquis Christianum se esse confitetur*

tur, is tanquam generis humani convictus hostis, sine ulteriore sui defensione capite plectitor. Quo crimine sane habiti sunt nocentes Christiani, ut scilicet generis humani hostes, & profanae coniurationis plebs, ut Caecilius apud Minutium Felicem ait, appellarentur: eorum enim nova vivendi ratione mores, ipsamque humanam vitam laedi existimabant Gentiles; quapropter dicebantur *ἀδικεῖν τȣ͂ βίȣ*, ut apud Clementem Alexandrinum. Tertullianus quoque ait, naturam ipsam Christiana superstitione conquestos fuisse violari, unde in aliquibus monumentis: SVPERSTITIONE CHRISTIANORVM VBIQVE DELETA. Christianorum multi ab iis etiam artibus se abstinuerunt, a quibus superstitio aliqua resultaret. Vide de sacris Imaginibus Iosephi Frovae Vercellensis Dissertationem doctissimam nuper impressam. Quid plura? etiam sub eodem Imperatore aliquando non Christianorum nomine, sed Superstitiosorum appellati sunt; unde in ruinis Pagi Marquesiae in Lusitania, seu *Maravesar*, hanc exstasse inscriptionem, auctor est Ianus Gruterus; si tamen genuina a viris doctis habetur.

NERONI . CL . CAIS
AVG . PONT . MAX
OB . PROVINC . LATRONIB
ET . HIS · QVI . NOVAM
GENERI HVM . SVPER
STITION . INCVLCAB
P.VRGATAM

Dede-

Dederunt Adolphus Occo, Ioseph Iustus Scaliger, Paullus Bauldinus, & nuperrime doctissimo Commentario exposuit Io: Ernestus Imman. Walchius, qui eius genuinitatem propugnavit.

III. In Tituli ergo defectu morem primorum Baptizatorum, qui vel nomine Iudaei dicebantur, vel re fuerant, multos sequutos esse antiquioris aevi caelatores, vel pictores adparet; etenim his artibus ex priscis Christianis pauci, vel nemo se applicuit, ne, ut penes Tertullianum habemus, idololatria contaminarentur.

IV. Plurimae sunt imagines vetustissimae Salvatoris Cruci adfixi sine Titulo; inter quas vetustissima est illa argentea in Sacrario Basilicae S. Petri Romae asservata, quam Carolus Magnus a Leone III. Summo Pontifice coronatus eidem Basilicae dono dedit. Talis est ea, quam ferunt apud Florentiam in Templo Divi Miniatis ad Montem Sancto Ioanni Gualberti anno salutis 1003. caput inclinasse; ubi nullae aliae literae visuntur, quam LVX. in nimbo, eaeque recentiores. Similis perantiqua pictura apud supralaudatum Gorium, quae olim in Templo divae Reparatae huius Civitatis exstabat. Talis imago aerea in Hierotheca in formam arculae paenes eundem: talis in Diptycho circa saeculum XIV. picto apud me. Ioannes Baptista Casalius de veteribus Christianorum ritibus Cap. II. Cruces affert sine Titulo, quarum una ex metallo adducta fuit ex orientali Civitate Aleppi iamdiu eruta ex antiquissimo Christianorum Templo. Romae item sine Titulo Iesus Christus Cruci adfixus musivo opere in Basilica S. Clementis sine aliquo Titulo observare est. Sequioris aevi Imagines, quae Florentiae exstant, quarum una in Monasterio D. Barnabae, altera in peristylio D.

An-

Marci ad Praedicatores, quas ferunt a B. Ioanne Angelico depictas: ipse enim obiit anno 1455. antequam Romae reperiretur Titulus archetypus an. XXXVII. Ex priscis tamen aliquot monumentis adparet, Graecos Crucis Titulum non praetermisisse, adeoque diligentiores fuisse.

Quo autem consilio Titulum omitti consueverit apud veteres, aliorum sit iudicium. Solummodo scimus, crucem Latronum, qui cum Christo adfixi fuere, tunc temporis titulo caruisse, atque propter triumphalem Titulum Crucem salutiferam Domini nostri, Helenae temporibus agnitam fuisse, ut ait Chrysostomus Homil. 84. in Ioannem, atque Ambrosius in funere Theodosii, his de Helena verbis: *Quaerit ergo medium lignum; sed poterat fieri, ut patibula inter se ruina confunderet, casus mutaret, & inverteret. Redit ad Evangelii lectionem; invenit quia in medio patibulo praelatus Titulus erat* IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. *Hinc collecta est series veritatis, Titulo Crux patuit salutaris.*

VI. Caeterum Regni Abissinorum stemma Christus est Cruci adfixus, at sine titulo. E contra in Cruce, quam Hierusalem nuncupamus, cum duobus lignis transversis, minorem eorum significari autumo tituli nostri tabellam literis carentem. Non dissimili modo Crux Hungariae Regni stemma.

CAPVT XIII.

Literae Tituli locum in Crucibus usurpantes.

I. QVidquid sit de characteribus pictis in zona Imaginis Salvatoris Pisciae adservatae, de quibus varia, & inconsentanea affert Puccinellius pag. 344. quem vide, si lubet, in Historia Pisciensi; plures sunt, qui de Imagine Crucifixi in Civitate Lucensi cultui, & adorationi exposita verba faciunt; praesertim Angelus Roccha, ubi de particula SS. Crucis disserit. Quod ad eius antiquitatem attinet, ferunt eam ex Luna antiquissima Etruriae Vrbe Lucam, anno 782. adlatam fuisse. Constat eam praeseferre loco Tituli A. Ω. De harum litterarum antiquitate, & usu consulendus est prae ceteris Ioannes Ciampinius in Veterum monumentorum Parte secunda, ubi eas in sepulcris primorum Christianorum expressas ostendit; nec non in arcu Ecclesiae S. Mariae Vrbis sub pedibus Salvatoris; eo quod ipsum Deum significant, ut in Apocalyps. cap. I. vers. 8. innuitur: *Ego sum* A, *&* Ω, *principium, & finis dicit Dominus Deus, qui est*; & cap. XXII. v. 13. *Ego sum* A, *&* Ω, *primus, & novissimus.*

II. Id etiam innuere videtur Auctor Clarissimus Animadversionum ad Severae Martyris Epithaphium inquiens: *Quantumvis enim eruditus quidam Scriptor putaverit, non consuevisse ante ab Ario nefariam haeresim appingi Christi monogrammati vocales*, A, Ω *ad eius divinitatem significandam; tamen facile potest ostendi, etiam ante Constantini tem-*

tempora usurpatos fuisse mysticos illos characteres ad ornamentum, ac decus Nominis Christi; quod deinde post Arianum dogma crebrius adpinxerunt suis monumentis Christiani. Et revera in labaro Imperatoris monogramma cum iis literis videbantur. Idipsum dici potest de aliquibus Nummis aliorum Imperatorum. Visuntur item in annulo perantiquo Musei Victorii. Ioannes Dominicus Bertoli Canonicus Aquileiensis, Vir de literaria Republica optime meritus, in Columbaria Florentina Academia Consocius meus, quem honoris caussa nomino, in Dissertatione VII. Operis, quod inscribitur *Memorie della Società Colombaria*, sic ait: *Tal costume di accompagnare il monogramma con queste due lettere credesi derivato fin dal tempo degli Apostoli.*

III. Quod autem posteriora tempora spectat perpulcrum exemplar oculis nostris subiicit eadem in Dissertatione ipse Auctor, ut opus mihi non sit vel commemorare usum talium litterarum in nummis Civitatis Senarum, ubi visuntur, utpote minus antiquum, vel primum lapidem in fundamentis Basilicae Pisanae anni 1064. ubi prope Crucem *alpha*, & *omega* cum monogrammate incisi sunt, vel stemma equestris Ordinis Sancti Sepulchri Domini nostri, ubi in Cruce sunt iidem characteres monogramma interponentes.

IV. *Alpha* igitur, & *omega* Epigraphes ad instar spectantur in Cruce pervetustae Lucanae imaginis, ut aiebam, necnon in alia Lucanae illi simillima, quae colitur in Oppido Bargae Florentinae ditionis; ne dicam etiam in plurimis aliis Crucibus medii aevi.


CAPVT XV.

De formulis vero Titulo aliquantisper similibus.

I. PAulus Aringhius in Roma subterranea Cubiculum proferens Coemeterii S. Iulii Papae in via Flaminia, Crucem ostendit cum Romana tantum inscriptione: IESVS REX IVDAEORVM, textum S. Matthaei pure respicientem. Petrus Lambecius ex antiquo Manuscripto Codice Bibliothecae Caesareae picturam vulgavit saec. IX. in qua Crux Titulum habet IHC NAZARENVS REX IVDEORVM, ex Divi Ioannis textu desumptum: Ego ipse picturam XIV. saeculi affabre factam vidi, in qua a ligniculo sustentabatur Tabula, cum his verbis: HIC EST IHS NAZARENVS REX IVDEORVM.

II. Quae fuerint antiquorum Diptycha sacra, & qualis eorum in Ecclesiis usus antequam altarium, ut aiunt, tabulas Fideles adhibere consuevissent, sat, superque ostenditur a Baronio ad annum Christi LVII. Cl. V. Philippus Bonarrotius in calce Observationum suarum ad Vasa Vitrea praeter alia, Diptychum profert eburneum saeculi IX. quod iam fuerat Monasterii Rambonensis in Marchia, postea Bonarrotiani Cimelii ornamentum. In ipso artifex Divi Marci Evangelium sequutus, scripsit REX IVDEORVM.

III. Duobus huc usque relatis exemplis plura addi possent, uti prae ceteris Titulus hic meus aeneus deauratus, & encausto pictus, scilicet



Addi poteſt & Tabula argentea ab Ioſepho Martinio in Theatro Piſanae Baſilicae memorata, quae exſtat in Monaſterio S. Matthaei Piſarum, ubi cernitur Chriſtus quatuor clavis Cruci adfixus, cum epigraphe REX IVDEORVM. Et revera D. Auguſtinus in Pſ. 55. haec habet: *Scriptus eſt quidam titulus in Dominica Paſſione &c. Haebraice, Graece, & Latine*: Rex Iudaeorum. Et in Pſal. 57. *In Titulo, ubi ſcriptum erat* Rex Iudaeorum *poſito ſuper Crucem &c.*

IV. At pulcherrimum exemplum Tituli aliquantum vero ſimilis ſuppeditat Codex LVI. Plutei I. Imperialis Bibliothecae Laurentianae, continens Evangelia characteribus Syriacis anno ſalutis 586. exarata: iam Auguſtiſſimi CAESARIS Magni Ducis noſtri iuſſu in lucem, curante V. C. Gorio prolata; quaéque rurſum prodibunt, ut ex Catalogo V. C. Bibliothecarii Antonii Mariae Biſcionii Imperialis Eccleſiae S. Laurentii Canonici diſcere poterimus. In eo ſiquidem Codice picta eſt in Tab. XXIII. Crucifixio Domini noſtri; in culmine vero Crucis, Syriaco tantum charactere Titulus eſt, *Ieſum Nazarenum Regem Iudaeorum* referens, quamquam & nomen Longini inibi Graece ſcriptum legatur. Ibi, dicam obiter, Ieſus Chriſtus conſpicitur quatuor clavis confixus, & quod minus obvium, veſte quadam talari coopertus, qualis idem depictus

 oſten-

ostenditur a Ciampinio de sacris Aedificiis : cuius vestis originem affert Gregorius Turonensis de Gloria Martyrum Lib. I.


V. Neque hic omittenda videtur Imago Crucifixi, a Petro Lambecio relata; quam exstare ait in Augustissimae Bibliothecae Caesareae Vindobonensis pervetusto Codice MS. membranaceo, ante annos 778. exarato, cui Titulus appositus est: IHC. NAZARENVS . REX . IUDEORVM . ubi y visitur aliquantulum caudatum, & qualequale in Vergilio Mediceo-Laurentiano occurrit. Apposita item cernitur charactere Longobardico, ut aiunt, formula eadem Imagini Iesu Christi Crucifixi, alias *de' Bianchi*, saeculi decimiquarti, quae in Emporii Praepositura veneratur: denique Imaginis sculptae IESV CHRISTI CRVCIFIXI, quae, ut traditur, S. ANDREAM CORSINIVM Episcopum Faesularum allocuta est, quaeque in Ecclesia Carmelitarum Florentiae adservatur, & colitur. En ipsum schema a me diligenter delineatum.

CAPVT XVI.

De Titulo per Siglas expresso, & contracto.

IN litteris pingendis, sculpendisque sensim, ut barbaries defecit, Crucium imagines elegantiores fieri, & in earum Titulis constanter *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum* scribi incoepit; sed literis dumtaxat I. N. R. I. Id an loci angustia, an ut mos saeculi servaretur, in quo multa nomina, praesertim propria per solam primam literam exprimere usu

Schema Tituli Imaginis Iesv Christi Crvcifixi, *quae servatur & colitur Florentiae in Ecclesia Carmelitarum.*



usu venerat, nescio. Illud certum est, iis Siglis Titulum scriptum me vidisse in vetustissimis valvis aeneis Basilicae Pisarum, in queis Salvator noster Cruci adfixus conspicitur, nec non in Tabella aptata Imagini Iesu pariter Cruci adfixi, quae in Abbatia S. Bartholomaei Faesularum colitur.

II. Hinc ortum est, quod plerique arbitrati sunt, verum Crucis in morte Christi Titulum initialibus tantum literis constasse. Fratres Macri in Hierolexico: *Totius Hebraicae irrisionis in Christum Crucifixum summa, & Titulus erat inscriptus: HIC EST I. N. R. I.* Quemadmodum apud Graecos principe, vel initiali vocis litera, integra vox designabatur, ut apud Maximum Planudem Aesopus fingitur septem characteres marmoreae Columnae insculptos conspexisse; sic antiquitas harum Latinarum Siglarum longe vero maior videretur, si non recens instaurata, & completa nosceretur effigies Iesu e Cruce pendentis, ex Nazareth, ut fertur, Pisas circa saeculum X adducta, & in maiori eiusdem Civitatis Basilica conlocata; de qua luculenter Martinius supradictus disserit. In ea siquidem imagine & radii, & titulus opus recentioris aevi visi sunt. Quare auctor eruditissimus, atque Doctissimus Dissertationis de Monogrammate Sanctissimi Nominis Iesu, Romae in lucem superiori anno editae, sic divinatus est: *Sed in triumphali Titulo Capiti Domini nostri Iesu Christi superposito, & Cruci infixo, Nomen sanctum per singulas literas expressum fuisse non dubitamus, ut videlicet omnibus innotesceret, quis ille Rex Cruci per ignominiam, ludibrium, & infamiam defixus existeret: neque enim Hebraice, Graece, & Latine Titulum scribere fuisset opus, quando Regis nomen per syncopen, sive nexum literarum contraxissent. Istud egregie demon-*

 stra-

ſtraret ille idem Titulus vetuſtiſſimus; ſed malum, noſtroque damno infauſta res eſt, non integrum adhuc perſeverare in Baſilica Seſſoriana, ubi pars tantummodo eiuſdem inſigni veneratione colitur, & multis ab hinc ſaeculis ſedulo cuſtoditur.

CAPVT XVII.

De eodem Titulo contracto, & punctorum defectu indiſtincto.

I. QVemadmodum ſuo loco notare poterimus in Sacra Tabula, quam proferemus, defectum inter voces tum punctorum, tum ſpatii; ita & hic animadvertere oportet, quod artificum negligentiâ in multis picturis ſculpturiſque Siglarum ſenſus I. N. R. I. immutatus defectu punctorum in unicam vocem INRI, quae nihil ſignificare videtur; quod frequentiſſimum eſſe in priſcorum Graecorum, Latinorumque lapidibus manifeſte conſtat. Ea potiſſimum de cauſsâ Heracliti ſcripta a quolibet neglecta olim atque contempta protulit Ariſtoteles Rhetor. lib. 3. cap. 5. quod nempe omni diſtinctionum genere deſtituta, tum legentium oculos defatigarent, tum ipſiuſmet auctoris ſententiam perturbarent; eaque pariter de cauſa multum ab eruditis diſputatum eſt pro reſtitutione nonnullorum Scriptorum; unde merito Diomedes Lib. 2. cap. 4. docet lectioni poſituras accedere, vel diſtinctiones oportere.

II Idipſum, ſed non ſine aliqua notabili ſignificatione, eveniſſe putarunt nonnulli in quibuſdam acroſticis, qui ſub Sibyllae Erythraeae nomine circum-

cumferebantur, quorum primae litterae ad ſignificandum Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ, ſimul unitae ſine punctis, conſtituebant Ἰχθύς, ideſt *piſcis*: quam vocem ita efformatam, minime Graeci praeſertim reſpuerunt, cum optime agnoſcerent Chriſtianos omnes hoc ipſo vocabulo perbelle exprimi, quandoquidem Tertullianus Lib. de Baptiſm. eos ita appellat.

C A P V T XVIII.

Triumphalis Titulus abſconditus denuo reperitur.

I. IN picturis, aut ſculpturis verum Crucis trilinguem Titulum imitari a ſaeculis vetuſtioribus uſque adhuc non eſt datum, abſcondito per multa ſaecula exemplo, cuius nunc inventionis Hiſtoriam in Seſſoriana Baſilica ex Cl. Ioanne Ciampinio referre oportet. Sic enim in Synopſi Hiſtorica de Sacris Aedificiis cap. 3. *Vivebat tunc bonae memoriae Petrus Gundiſalvus de Mendoza Presbyter Cardinalis Tituli eiuſdem Eccleſiae* (S. Crucis in Hieruſalem) *qui cum illam vetuſtate iam fatiſcentem videret, ut in primaevum ſplendorem reſtitueret, eiuſdem muros nova, & tenui calce obduxit, & dealbavit; nec non interraſile laquearium picturis, aureiſque exornavit lineis. Dum autem haec a fabris murariis peragerentur, in ſummitate maioris arcus, ſive triumphalis diſiecto cuiuſdam parvae feneſtrae muro ibidem Sacroſanctae Crucis Titulus repertus fuit. Tota facti ſeries a Stephano Infeſſura, quem penes me in meo librorum MSS. Cimelio aſſervo, rerum ſui tem-*

poris diligenti Scriptore, rudi quidem stylo enarratur.

II. Henricus Spondanus, ac Iacobus Bosius Infessurae Civi Romano adiiciunt Laelium Petronium, & Paulum de Magistris, tanquam una cum Infessura, Romani Chronici, seu Ephemeridis Scriptores. Ceterum Infessurae Codex manuscriptus anno 1670. exstabat in Bibliotheca Fulvii Archangeli Balneoregiensis, ut Bosius testatur. Exstat nunc & Florentiae in Bibliotheca publ. Magliabechiana. Demum paucis ab hinc annis publici iuris factus est a Georgio Ekardo, etsi multis lacunis, & erroribus scatens, teste eruditissimo Viro Rodulphino Venuto Patricio Cortonensi in Numismatibus praestantioribus Romanorum Pontificum.

III. Sed ad narrationem veniamus. *Die prima mensis Februarii anno* 1492. *venerunt nova de partibus Africanis, dictumque fuit qualiter Rex Hispaniae habuerit victoriam de Granata, ipsamque cepit, & dominatus est; & eam fuisse captam pactis omnibus, & foederibus. Nam iamdiu ante oppresserat eam; quibus autem pactionibus, non bene scitur apud nos. Eadem die miraculum in Vrbe fuit. Nam cum D. Petrus Gundisalvus de Mendoza, ut dicitur, sua impensa faceret incrustare, & dealbare Ecclesiam praedictam, quando operarii tetigerunt summitatem arcus, existentis in medio Ecclesiae juxta tectum, ubi adhuc sunt duae parvae columnae, senserunt ibi certum vacuum; cumque aperuissent, invenerunt unam parvam fenestram, in qua erat una capsula plumbea duorum palmorum bene clausa, & super eam erat lapis quidam quadrangularis marmoreus, ubi erant sculptae istae literae, videlicet:* Hic est Titulus verae Crucis. *In qua capsula reperta fuit quaedam Tabula parva longitudinis unius palmi, quae ab uno latere erat comesa, & vetustate corrosa, ibique erant ca-*

va-

vatae, & deinde colore rubeo tinctae infrascriptae literae, sive verba: HIESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM; *sed illud* Iudaeorum, *non erat perfectum, quia illud* RVM *nonnisi ad* R *inclusive remanserat, & illud* VM *ceciderat, ut dixi; quia erat Tabula ab ea parte corrosa, & vetustate deficit: & primus versus erat hoc scriptum literis Latinis; secundus vero literis Graecis, & tertius literis Haebraicis.*

IV. Placet & Laelii Petronii in veteri Ephemeride verba hic referre. *Kalendis Februarii anni* 1492. *instaurante hoc templum Gundisalvo Mendoza Cardinali S. Crucis, deprehenderunt operarii in summitate altioris testudinis armariolum, continens plumbeam arculam bene clausam, supra quam iacebat saxum quadratum, in quo sculpta legebantur haec verba:* Hic est Titulus verae Crucis. *In arcula, quae erat bipalmaris, includebatur Tabella habens longitudinis palmum cum dimidio, quae referebat sculpta, & colore rubro tincta haec verba:* IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM.

CAPVT XIX.

Stephani Infessurae errores confutantur.

I. SED quid mirum, neminem in picturis, caelaturisque verum Titulum imitasse, quum Stephanum Infessuram, qui eum vidit, & descripsit, valde errasse comprehendimus, dum scribit. *Primus versus erat hoc scriptum literis Latinis; secundus literis Graecis, & tertius literis Haebraicis.* Ecquis non videt ὕστερον πρότερον, & quod cum ipse indicet primum versum Latinum vidisse, secundum Grae-

cum, tertium Haebraicum, sursum deorsum Tabellam conspexisse? & eo magis, quod ordo iste non concordat cum verbis Ioannis diligentissimi, certissimique, ut diximus, Scriptoris, & testis; verum nec cum his Lucae: *Erat autem & suprascriptio scripta super eum cum literis Graecis, & Latinis, & Haebraicis.*

II. Clarius etiam sphalma Infessurae evincitur ex eo quod non observavit characteres inverso ordine, nempe a dextera ad sinistram esse scriptos Haebreorum more, quemadmodum constantissime conspicitur in veri Tituli exemplaribus aere insculptis annis 1582. 1610. 1647. 1670. & 1734. quorum ultimum incidi curavit doctissimus Antonius Maria Lupius Societatis Iesu Sacerdos, amicorum meorum dum vivebat suavissimus, qui id inseruit in sua Dissertatione in Severae Martyris Epitaphium Tabula XVIII. pag. 150. Altitudine aequat Romani pedis unc. VIII. latitudine vero fere XIII. accurate aereae Tabulae ita incisum.

NAZAPENYCE

NAZARENVSRE

Huic epigraphen hanc subiecit: *Imago TRIVMPHALIS TITVLI Vivificae Crucis D. N. IESV CHRISTI, prout hodie, consumptis reliquis, conspicitur Romae in Basilica Sessoriana, ex antiqua Imagine aeri insculpta anno MDLXXXII.*

Hanc

Hanc buxeis typis imitandam, & incidendam curavimus, parvo hoc ſchemate; ſed ipſam autographam delineationem adeat eruditus ac pius Lector, ad quam mittimus.

III. Is ordo ita erat neceſſarius, ut etiam ii, qui de hac re aliquod confinxere obſervarunt; inter quos recenſendus eſt ille, quisquis fuerit, qui Pilati ſententiam tanquam autographam exaravit, ut videre eſt in Codice 916. manuſcriptorum Strozianae Bibliothecae, ubi ea legitur; etſi Auctor Linguarum Graecae, & Haebraicae ignarus, in Titulo Graeco, & Haebraico maximos in errores lapſus eſt.

CAPVT XX.

Vrbis gaudium, & nova Tituli conlocatio.

I. AD *quem locum*, ſequitur Infeſſura de Baſilica Seſſoriana, *quaſi tota Vrbs acceſſit; & Papa Innocentius poſt triduum vidit eam, iuſſitque permanere in dicta capſula cum quadam lamina vitrea ſuper Altare in feſtivitate dictae Eccleſiae; & eſt omnium aeſtimatione illa Tabula, quam Pilatus poſuit in Cruce ſuper caput Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, poſita ibi per Sanctam Helenam matrem Conſtantini, tempore quo fuit dicta Eccleſia fabricata.*

II. Mortuo Petro Cardinali Gundiſalvo Eccleſiae huius reſtauratori, ſucceſſit Bernardinus Caravaial, natione Hiſpanus, Cardinalis Tituli S. Crucis in Hieruſalem, qui & Eccleſiam ornavit, & Inſcriptionem noſtram aſſidue veneratus eſt; ſepultus ibidem anno 1523.

CAPVT XXI.

Calvini calumnia refellitur.

I. IGnotum forſan eſſet Inſcriptionem hanc noſtram dimidiatam fuiſſe, niſi in eam calumniari coepiſſet Ioannes Calvinus. Verba eiuſdem in Tract. de reliq. refert Honoratus a S. Maria in Animadverſionibus in Regulas, & uſum Critices, inquiens: *Cum Vrbs Toloſana iactat, ſe illum habere, & Romani id negant, eundem in Eccleſia S. Crucis oſtendentes, pugnantia invicem loquuntur.*

II. Meminit huius calumniae Honoratus Nicquetus Societatis Ieſu in libro, qui inſcribitur *Titulus S. Crucis*, nec non & Iacobus Gretſerus his verbis: *Et duplicatus quoque eſt Crucis Titulus* (*inquit Calvinus*) *nam & Romae reperitur in Templo S. Crucis; & Toloſani gloriantur eundem ſe poſſidere. Sed calumniatur & hic, & alibi ſaepius in ſimili materia Calvinus; nam nemo Chriſtianorum Titulum Crucis, quem unicum fuiſſe ſciunt, duplicatum dicit. Quod autem in duobus locis reperiri fertur, id ideo fortaſſis evenit, quia in duobus locis pars Tituli habetur.*

III. Et revera Tabulam Lupianam memoratam, aliaſque ſimillimas apud Boſium, & Nicquetum, vix dimidium oſtendere Tituli ab Infeſſura deſcripti perſpicuum eſt. Sed, ut vera fatear, nonne prodeſſe debuerat Toletanis habuiſſe aliquando Archiepiſcopum ſuae Eccleſiae Petrum Gundiſalvum de Mendoza, non ſolum de Hiſpaniarum Regno, verum etiam de Sancta Romana Eccleſia bene merentem? Nonne is fuit, qui expugnationem Regni Granaten-

tensis promovit? qui novi Orbis reperiendi instrumentum fecerat, commendatio praecipue Ferdinando, & Isabellae Regibus Christophoro Columbo Italo? Si propriis sumptibus restaurare curaverat Romae Basilicam Sessorianam Titularem, ubi thesaurus repertus est; nonne & ipsi Ecclesiae pariter, & Ecclesiae sui Archiepiscopatus Toletani, ubi moriens cadaver suum sepeliri voluit, Titulum Crucis impertiri debebat?

IV. Toletanae ergo Ecclesiae S. Mariae *de la Dorade* impertitum fuisse auctor est Ioannes Severanus de septem Vrbis Ecclesiis, ubi de Titulo Sessoriano agit. Ecclesiam eandem Toleti nullum vetustius inventum, quam Titulo Romae, monumentum habere in Tabulariis de origine, tempore, vel modo, quo Titulus ad eam delatus sit, ostendit Vir Cl. Honoratus a Sancta Maria. Integrum Toleti nequaquam esse subdit Bailletus. Quis igitur dubitabit, has partes non unum, eundemque Titulum conficere?

C A P V T XXII.

Ex literarum forma Triumphalis Tituli existentia firmatur.

I. CErtum quippe est quod Calvini derisio eo tetendit, ut epigraphes fidem apud Orthodoxos infirmaret. At magnum sane argumentum, ac firmissimum, ut sentio, est forma literarum Tituli, ex quibus ipsius Tituli veritas dignosci possit. Vt vero singulas ex iis, quae supersunt, ad examen revocemus, ab Alpha exordium sumamus. A hac forma factam usitatam fuisse ab antiquissimis usque

que

que temporibus patet, ut ſolide Montfauconius in Graeca Palaeographia oſtendit. Ac revera in nummis illis, qui tempore Tiberii cuſi videntur, A ſaepiſſime ita efformatum viſitur. Є vero rotundae huiuſce figurae forma donatae, originem cognoſcunt eruditi omnes initio Romani Imperii, quando nempe Romana res Auguſto ceſſit. Non putandum quidem eſt eam uſitatam fuiſſe temporibus Iulii Caeſaris; quamvis in aliquibus eiuſdem Imperatoris nummis haec literae forma aſpiciatur. Haec numiſmata enim ſub Auguſto cuſa fuiſſe putandum eſt. In Graecis quidem marmoribus hoc quoque tempore antiqua illa forma E reperitur; ſed hoc veritati non obſtat: credendum eſt enim Epigraphen noſtram Romano more fuiſſe exaratam, ut ſuo loco oſtendemus. De N nihil addam; omnibus enim notum eſt eſſe antiquiſſimum. De P quoque nihil eſt quod admodum adnotare poſſimus; tantummodo obſervandum eſt ſaepiſſime Tiberio imperante P ſemicirculum habere in medio lineae.

II. Difficultas quidem in hoc ȣ verſatur; etenim in omnibus fere inſcriptionibus OΥ legitur: ſed reſpondere poſſemus aſpici aliquando in iis inſcriptionibus, quae charactere, ut aiunt, corſivo exaratae ſunt. Qua de re cum putandum ſit Titulum hunc ſcriptum fuiſſe ignara manu, urgente tempore, ac tabulae anguſtiâ; credibile eſt, hac de cauſa nexum alioquin inſuetum ita fuiſſe formatum. Verum enim vero Clariſſimus Montfauconius Lib. 2. Palaeographiae duo affert Numiſmata Voluſiani, nec non alia Elagabali, & Alexandri Severi, in quibus omnibus diphtongum *ου* tachigraphice, ut ita dicam, expreſſum viſitur, ȣ: ac Carolus Schlaegerus Vir maximae eruditionis de Nummo loquens Alexandri Magni obſervat in Nummis ante ſaeculum ſe-

cun-

cundum, hanc tachigrapham notam, ſeu nexum, incoepiſſe.

III. Quod vero Z converſa forma aſpiciatur, myſterium non eſſe puto, cum in vetuſtis quoque marmoribus non raro occurrat; ac proinde non rite ei convenire Auſonii deſcriptionem;

Zeta iacens, ſi ſurgat erit nota, quae legitur N.

De literis Latinis nihil addo, cum omnes illae Auguſti ſaeculo reperiantur.

C A P V T XXIII.

Literarum forma varias Scriptorum opiniones averſatur.

I. EDuardus de Vitry S. I. in erudita illa Diſſertatione, quâ Flavii Clementis Martyris tumulum illuſtravit, ait coniectari ſe, literam Є forma ſemicirculari, quam Syria primum, mox Aegyptus, atque Aſia in nummis adhibuere, apud Graecos Europaeos, nonniſi circa Domitiani tempora; apud Latinos vero non conſueviſſe vulgo ſcribi, niſi Iuſtini fere, aut Iuſtiniani Imperatoris aetate; ſaeculo nimirum ſexto poſt Chriſtum natum. Non diſſimilem admodum regulam ſequutus videtur Iacobus Sponius in Miſcellan. Erudit. Antiquit. Sect. VIII.

II. Sed aliter nos docet Titulus noſter. Antonius Maria Lupi ſupra laudatus, in ſuis Animadverſionibus ad Severae Epithaphium miratus eſt, quod Philologi quidam Sigmatis lunatam figuram antiquiſſimam eſſe negent: quaſi vero non apud Euripidem in Theſeo, Paſtor legendi imperitus, eum characterem deſcribens appellaſſet βοστρυχὸν εἱλιγμένον, *cincinnum circumvolutum*; ita namque περί-

φραζῃ

Φράζει rusticus homo tertiam notam, qua scriptum erat Thesei nomen:

> Τρίτον δὲ βόστρυχός τις ὡς εἱλιγμένος:
>
> *Tertius vero* (character) *cirrus aliquis veluti convolutus.*

Quae sane descriptio, ait, non quadrat in sigma rectilineum, sive illud sic exprimatur Σ, sive etiam sic C. quasi etiam non ante Domitianum, Romae sigma appellatus fuisset a Graecae literae similitudine; & recepto a Graecis vocabulo, lectulus ille discubitorius perpetuus in hemicycli formam compactus; quem tum semirotundum suggestum appellavit Apuleius, tum stibadium Plinius, atque Martialis in Lib. 14. Ep. 87. cui titulus Stibadia, inquiens:

> *Accipe lunata scriptum testudine sigma;*
>
> *Octo capit, veniet quisquis amicus erit.*

Lunatum, quod scilicet totam fere mensam circumdaret, spatio in ea parte relicto, quo circulus deficiebat, ad inferenda fercula. Hoc genus mensae Eudoxi inventum facit Laërtius.

III. Sed utinam & haberi nunc prae oculis posset pars Inscriptionis Toletanae qualis qualis sit; facile esset ibidem alias observationes facere, vel circa orthographiam Sanctissimi Nominis, quod Stephanus Infessura Latine scripsit HIESVS: Bosius IESVS, Severanus HYESVS: vel in Infessurae, ac Petronii Titulo eliminare e verbo IVDÆORVM figuram Æ, tanquam in antiquitate vel ignotam, vel rarissime usurpatam, & literas AE separatim substituere. Sic Sanctes Pagninus in Libr. Nomin. Haebraic. qui Romae multis annis commoratus est, in nominibus Haebraicis opportune fecerat, ut infra dicemus, inquiens praesertim scriptum esse *Iesuah*, idest *Salus*, non *Ichosuah*, *Salvator*.

CAPVT XXIV.

De voce Graeca NAZAPENȣC *in Titulo.*

I. *DVo in hac voce mirantur Catholici* (Honoratus Nicquetus ait) *Haeretici vero hinc cavillandi, Titulumque Romae aſſervatum velut ſuppoſitum traducendi, occaſionem ſumunt. Vnum eſt quod* Ναζαρηνος *dicendum fuiſſet per* H, *& non per* Є; *deinde eſto hic* Є *locum habuiſſet, at ſaltem non erat haec vox proferenda in caſu accuſandi, & quidem numeri pluralis, ut videtur eſſe* NAZAPENȣC, *quod Grammaticae leges nullo modo permittunt. Satisfecit Gretſerus, mutatum* H *in* Є *veteri more, ut in multis aliis vocibus, teſte Platone in Cratylo; apud Goltzium in nummis* Ζένων, *pro* Ζήνων *legitur, &* Αθενᾶ, *pro* Αθηνᾶ: *apud Gruterum in antiquis Inſcriptionibus* Αὐρέλιος, *pro* Αὐρήλιος; μετρὶ, *pro* μητρὶ. *Videri poſſunt alia multa ſimilia apud authores. Caeterum* NAZAPENȣC *nominativi caſus eſt, & poſitum pro* NAZAPENOC; *antiqui enim* ȣ *uſurparunt pro* O, *patetque ex illo celebri Auſonii diſticho:*

Vna fuit quondam, qua reſpondere Lacones
Littera, & irato Regi placuere negantes.

Haec autem litera eſt O, *quam ut* ȣ, *quod ſignificat* non, *pronuntiabant*. Vir Cl. ſupra laudatus Antonius Franciſcus Gorius in Inſcript. Antiquar. Etr. Par. I. pag. 73. O *priſcis* (inqnit) *valebat* OY, *ut in Columna Herodis Attici Ionicis veteribus litteris inſculpta. Hinc Lacedaemones ingenti Epiſtolae Alexan-*

lexandri Magni, responderunt unica litera O, *id est* OΥ, non. Apud Atheneum OΥ, pro simplici Omicron occurrit. Sed ad Nicquetum regrediamur. *Praetera in Trasymachi Sepulchro inscriptum erat Distichon, ubi pro* Θρασυμαχὸς *dicitur* Θρασυμαχȣς. *Plura videri possunt apud eundem Gretserum Lib.* 1. *de Cruce c.* 29. *& in Commentariolo de pronuntiatione Linguae Graecae Cap.* 6. *Nescio autem an coniectura nostra hic locum habere possit, quam antequam profero, unum praemitto; Romanos olim, pronuntiasse vocalem* V, *ut* OV, *quemadmodum videre est apud Lipsium Antiquar. Lection. Lib.* 3.*Cap.*14. *ubi refert fragmentum antiquissimi lapidis in foro Romano eruti, quem ipse existimat esse partem Columnae Duilio positae; legitur vero ibi* Navebous, *pro* Navebus, *seu* Navibus; *& notus est ille iocus Menaechmi apud Plautum*: Tu isthic, inquam, vin' afferri noctuam, quae TV, TΥ usque dicat tibi? nam nos iam defessi sumus. (Act. 3. sc. 4.) *Certum est vocem noctuae non esse* TΥ, *nisi Tu pronuntietur ut* TOV. *Cum ergo qui Titulum Graecae scripsit, Latinam vocem* Nazarenus, *ut Nazarenous pronuntiari audiret a Romanis, forte ipse Hebraeus, hunc eundem sonum in Graeca voce exprimere voluit.*

II. Reliquum ne quis miretur, quod Titulus noster usus sit Graecè voce NAZAPЄNȣC Latina, pro NAZΩPAIOC; nam temporibus Apostolorum voces plurimae ex Romana in Graecam Linguam transierant. Pontifex supra nominatus Nicolaus I. de Latina Lingua ait: *Si iam saepe nominatam Linguam ideo barbaram nuncupatis, quoniam a translatoribus in Graecam dictionem mutata barbarismos generat, non Linguae Latinae, sed culpa est, ut opinamur, Interpretum; qui, quum necesse est, non sensum e sensu, sed violenter verbum edere conantur e verbo.*

III.

III. Quod vero attinet ad characterem Ȣ, hoc est diphthongum OΥ nexu expressum, opinio destruitur penitus Scaligeri, qui antiquius, ut putaverat, eius exemplum referebat ad Marci Aurelii Antonini tempora, qui anno Chr. 161. hoc est tertio, & vigesimo post Hadriani Caesaris mortem, imperium obtinuit, ut ad Chron. Euseb. pag. 107.

CAPVT XXV.

Ex Tituli verbis coniectura.

I. QUa Lingua B. Ioannes Apostolus scripserit Evangelium, an Graeca, vel Hebraica, adhuc contentio est inter doctos; nec litem dirimere Codex Florentinus potest, ut nostri veteres Scriptores somniarunt, opinantes eum autographum esse S. Ioannis. Litteratissimus Vir Ioannes Lamius ita de Codice hoc narrat: *Reipublicae Litterariae imposuit Bocchius, ubi in Libro de Florentiae pulcritudine prodere non est veritus, Evangelii Ioannis archetypum inter Sacra Mediceae Gazae Cimelia Florentiae adservari; quare ob hoc ipsum a Cinellio vapulat: & ipse quidem Clarissimi, ac Supremi Gazophylacis, Vincentii Mariae Riccardii, Senatoris permissu, quum mihi volumen illud inspicere, & tractare, & evolvere licuisset, perspicue intellexi, & quidem primore adspectu, Codicem esse IX. seu X. saeculo exaratum; nec Ioannis integrum Evangelium continere, sed Evangeliorum ex quatuor Evangelistis περικοπὰς, quae per anni cursum in Ecclesia Graeca legi solebant.*

II. Certum quidem est, quod Graece a Ioanne Evangelium scriptum fuisse, tota consentit antiqui-

tas. Salmasius e contra Hebraica potius Lingua contendit. Rationibus eiusdem quis forsan coniecturam huiusmodi adiiciet. Tituli Graeci, quod superest, habet ... ΖΑΡΕΝΟC Β. Textus Graecus D. Ioannis, qui Titulum ipsum vidit, & ut erat scriptus evulgavit, habet ΝΑΖΩΡΑΙΟΣ Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ. Si Graece scripsisset Ioannes non Hebraice, Tabulae Evangelium Graecum responderet. E contra in Tabulae literarum Hebraicarum residuo verba verbis paria respondent, cum asserat Sanctes Pagninus Romae Titulum legisse, ac observasse verbum *Nozeri Natzarè* conscriptum esse non per *zain*, sed *tzade*, ut in Hebraico textu, qui circumfertur. Ergo probabilius videtur Ioannem Hebraice scripsisse, quam Graece.

III. Hoc quidem notasse sufficiat, & sapientioribus examinandum reliquisse; plura enim contra afferri possent, nempe mentis alteratio prae nimio dolore in Ioanne Titulum conspiciente; oblivionem eiusdem post multos annos; lapsus calami librariorum Evangelium transcribentium, & similia. Quo vero tendat id quod scribit Honoratus a S. Maria in Animadversionibus in Regulas Critices, quod literae insculptae in Titulo S. Crucis in Hierusalem optime respondere videntur dictis Evangelistarum, nescio; ni forte ordinem Linguarum respiciat.

CAPVT XXVI.

Tituli Scriptio a qua nam manu exarata fuerit.

I. Videtur quidem primo aspectu Pilatum propria manu Titulum scripsisse, eo quod dica-

eatur, Io. XIX. 19. *Scripsit autem & Titulum Pilatus;* & ipsemet Pilatus de se dicat *v.* 22. *Quod scripsi, scripsi*. Verum haec non tanti sunt (ut Nicquetus observat) ut Pilatum propria manu Titulum scripsisse convincant; nam eodem modo dicitur eum scripsisse, quo & posuisse super Crucem, hoc est mandasse ut scriberetur, sicut mandavit ut poneretur super Crucem. Quis autem dicat Pilati manibus positum Titulum super Crucem? Quis etiam dicat eundem Praesidem aut flagellasse propriis manibus, aut voluisse in Crucem agere Christum: & tamen dicitur (Io. 19. 1.) *Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit*. Et v. 15. *Regem vestrum crucifigam*?

II. Pilatus igitur Titulum non scripsit ipse: hoc enim ministrorum erat, ut hodie fieri videmus; maxime cum esset stylo ferreo in ligno primum exarandus.

III. Videtur etiam non ab uno eodemque scriptus totus Titulus; nam litterae Romanae concinne formatae sunt; Graecorum vero, quae plane eaedem sunt cum Romanis, pessime conformatae sunt, ut ν, & atque Z; ac praeterea quod paucissimi Romanorum Hebream Linguam intelligebant, ut probat Samuel Reyherus in Dissertatione de Crucifixi Iesu Titulis.

CAPVT XXVII.

Summus Pontifex spirituali largitione Romae Titulum prosequitur.

I. Vita functo Innocentio huius nominis VIII. die octava Kal. Sextilis anni 1492. & in novam

vam Vaticanam Basilicam translato eius Sepulcro, Inventionis Tituli memoria apponi visa est; quam libentissime exscribo, ut typographorum menda corrigam (ab aliis namque vulgata est) ex correctione Cl. Viri D. Petri Aloysii Galletti Cassinatis in Classe I. Epitaphiorum Romanorum.

D . O . M .
INNOCENTIO VIII . CYBO PONT . MAX
ITALICAE PACIS PERPETVO CVSTODI
NOVI ORBIS SVO AEVO INVENTI GLORIA
REGI HISPANIARVM CATHOLICI NOMINE IMPOSITO
CRVCIS SACRO - SANCTAE REPERTO TITVLO
LANCEA QVAE CHRISTI HAVSIT LATVS
A BAIAZETE TVRCARVM TYRANNO DONO MISSA
AETERNVM INSIGNI MONVMENTVM
E VETERE BASILICA HVC TRANSLATVM
ALBERICVS CYBO MALASPINA
sic PRINCAEPS MASSAE
FERENTILLI DVX MARCHIO CARRARIAE . ET . C .
PRONEPOS
ORNATIVS AVGVSTIVSQ. POSVIT .
ANNO . DOM . MDCXXI .

Seorsim in eodem marmore haec etiam scripta:

IN INNOCENTIA MEA INGRESSVS SVM
REDIME ME DOMINE ET MISERERE MEI

II. Electus interim fuerat Pontifex Rodericus Cardinalis Borgia V. Idus Sextil. anni MCCCCXCII. nomen assumens Alexandri VI. Hic anno Pontificatus sui sexto super Tituli nostri inventione peculia-

rem

rem edidit Conftitutionem, ubi laudati Tituli inventio defcribitur. Hanc adfert Honoratus Nicquetus, ad quem Lectorem benevolum mittimus.

CAPVT XXVIII.

Sumpta occafione, de vero tempore inventionis Tituli differitur.

I. QVaeftio nunc oriri videtur de menfe, & die quo Tabula rurfum inventa eft: cum Stephanus Infeffura, & Laelius Petronius conftanter narrent repertam effe die prima Februarii anni 1492. e contra in Summi Pontificis Conftitutione inventam legimus eiufdem anni ultima Dominica Ianuarii. Cui ergo talium monimentorum maior fides adhibenda? At advertendum primum quod Romana traditio duobus nititur monumentis concordibus, quae difficultatem omnem e medio tollere videntur: fecundo, quod ultima Dominica Ianuarii anni illius in diem vigefimafeptimam cecidiffe facile deprehenditur, fcilicet quatuor dierum intercepta, non unius, quae facile falvari poffet: tertio improbabile effe, quod operarii die Dominico artem fuam exercuiffent, & exercendo Tabulam invenifsent. Quare opinari fas eft in Conftitutione *ultimae Dominicae* lectionem ortam efse ex eo quod Summus Pontifex indulgentiam diei non privato, nempe Dominicae proximiori, Fidelium commodo, fortafse affixerit, feftumqne inventionis tranftulerit. Adde, ut magis magifque conftet diem inventionis non fuifse XXVII. Ianuarii, quod eadem die inventionis nuncius Romam pervenit, Victoriam Regni Caftellae fignificans. Certo certius dies Victoriae fuit unde-

cima Ianuarii, ut patet ex epiſtola penes me Bartholomaei Scalae a Secretis Florentinorum, eorumdem nomine ſcripta, cuius initium eſt: *Ingenti cum laetitia legimus litteras tuas Granatae die* xi. *Ianuarii, ideſt die Victoriae, quae certe talis tantaque fuit, ut non modo laetum te feciſſe multum debuerit; ſed omnes praeterea, qui Chriſtiano nomine cenſentur*. Putaſne XVI. tantum diebus ex Granata Romam nuncium veniſse?

II. Aliquot poſt annos haud mirum diem inventionis ignoratam, quando error irrepſit & in anno. Pancirolus enim in Libro qui inſcribitur: *Roma antica, e moderna*, refert Titulum inventum fuiſſe anno 1491. In Libello quodam Romae edito per Antonium Bladum ante annum 1523. exarato, cui titulus *Las Yglesias, & Indulgentias de Roma*, legitur: *La ſeptima Yglesia principal de Roma ſe sllamava Santa Cruz en Ieruſalem. Eſta en la dicha Yglesia del Titulo, que fue preſſo en la vera Cruz encima de ſu cabeça, el qual eſta eſcrito en Latin, Caldeo, y Ebrayco, y fue allado en una pared &c. el año del naſcimento de nueſtro Señor Ieſu Chriſto MCCCCXCI. en tiempo del Papa Innocencio VIII.*

CAPVT XXIX.

Tituli ſequenti aevo ſtatus.

I. CErtum eſt quod inventionis fama, vel Innocentii VIII. obitu, vel alia de cauſa, haud promulgari extra Vrbem coepit niſi aliquot poſt annos, puta poſt mortem Petri Gundiſalvi, qui naturae ceſsit 11. Kal. Februarii anni 1495 ut Epigraphe ſepulcralis illius nos docet. In Opuſculo

quo-

quodam Alexandri VI. temporibus edito, in quo de Reliquiis Basilicae S. Crucis in Hierusalem agitur, de Titulo ne verbum quidem additur. Memoria, quae musivis litteris expressa legitur eadem in Basilica, fortasse nonnisi post mortem eiusdem Gundisalvi picta est; cum sciamus successorem suum Bernardinum Caravaial, natione Hispanum, Episcopum Ostiensem, ab Alexandro Pontifice in numerum Patrum ascitum, summam manum eiusdem Ecclesiae titularis suae fabricae imposuisse.

II. Quod vero ad tempora successiva pertinet, Ioannes Suares Episcopus Conimbricensis in Tractatu IV. in Evangelium S. Marci, ita narrat: *Mirabile est, quod vidimus in Ecclesia S. Crucis in Hierusalem, cum finito Sacro Concilio Tridentino sub numquam interitura memoria Papae Pii IV. Romam nos contulimus &c. Ibi enim dum nobis Crucis Sanctissimae pars, & Tabella, in qua causa Domini litteris Graecis, & Latinis, & Hebraicis conscripta fuit, ostenderetur, haec dictio* IVDAEORVM *abstracta non arte, sed divino consilio fuit in omnibus, in quas inscriptis redacta erat Linguis; tanquam oculis nostris ostendatur Prophaetia Danielis: „ Et non erit „ eius populus, qui eum negaturus est „ Quia enim illum negaverunt, non iustum est dici Regem eorum.*

III. At dictio, & pars, quam hic non esse dicit Suares, posset ne ea esse, quae Toleti in S. Maria de Dorada asservatur, & colitur? quam, cum asserat Honoratus a S. Maria in suis Animadversionibus in regulas Critices, quinque constare lineis, dubitandi locus esset Tabulae latitudinis angustia, lineas ultimas, Graecam nempe ac Latinam, duplicatas in fine fuisse, & spatium interlineare occupasse; cui opinioni favet fortasse eiusdem latitudinis angusta mensura ab Infessura, & Petronio, nec non

ab Honorato a S Maria descripta; ac magis magisque mirabilia, quae per Titulum hunc operatus est Deus.

IV. Verum cum dicat Honoratus ipse anno 1648. animadversum esse, ablatam fuisse Tituli dexteram partem, & verbum IESVS in eo desiderari; idipsum animadverti poterat anno 1610. ut Bosius ostendit; quinimmo & 1582. ut Lupius supra laudatus innuit.

V. Qua vero de causa Suares in supradicta descriptione primum literas Graecas, inde Latinas, ultimo Hebraicas posuerit, non est, cur magni faciamus; praesertim cum nobis maiora hac de re sphalmata sese obiiciant. In Libro supra citato Hispanica Lingua: *Esta escrito en Latin, Caldeo, y Ebraico*. Hos haud meminisse reor Divi Ioannis verborum, nedum illius Sedulii Oper. Pasch. Lib. V. *Hoc Hebrea refert, hoc Graeca, Latinaque Lingua*.

VI. Credendum quidem est Epigraphem nostram non vidisse Sixtum Senensem, qui sub Sancto Pontifice Pio V. floruit; ipse enim in sua Bibliotheca Sancta eam vitiatam retulit in Graecis literis; in Hebraicis vero (Syriacis forte divinatus est Pompeius Sarnellius) scribens *Iescua Nazeraia Malca Dihoudae*. Certum denique est, quod in figuris aeneis incisis annnis 1582. 1610. 1670. & 1734. NAZARENVS RE tantum legi Latine; Graece autem NAZAPENȣC B . . . .

C A P V T XXX.

Recentiorum picturarum errores.

I. DVm aliqui ex recentioribus in pictura clari Artifices verum imitari conati sunt, verae ma-

materiei penitus obliti, praegrandem Titulum chartaceum effingere sunt aggressi: inde verba legentes Divi Ioannis, summo studio characteribus Hebraicis, Graecis, ac Latinis *Iesum Nazarenum Regem Iudaeorum* expressere. At cum habere prae manibus facili negotio possent Sessorianae Basilicae Titulum, quinque vicibus aeneis ligneisque typis divulgatum; eiusmodi archetypum egligentes, non a dextera ad sinistram, Haebreorum more, ut sunt; sed a sinistra ad dexteram Graecos, ac Latinos characteres formarunt. Tales sunt quotquot exstant trilingues Crucis Inscriptiones, quas Florentiae vidi, tales & alibi spectari opinor.

II. Neque novum est hoc inversum scribendi genus in picturis & sculpturis. Martinius enim sub oculos ponit Ω, & A ad effigiem Christi Domini delineatum, non A, & Ω ut naturalis ordo videbatur exposcere; & doctissimus Lupius in suis Animadversionibus ad Severae Martyris Epigraphen §. 15. Latinam Inscriptionem affert Christianae cuiusdam feminae inverso ordine a dextra ad sinistram exaratam.

III. Quod autem Honoratus a S. Maria scribat animadversum esse Romanae Tabulae dexteram partem ablatam iam fuisse, & verbum IESVS in ea desiderari; intelligere oportet dexteram partem, quae legentem respicit, non vero eiusdem Tabulae.


IV. Ceterum de Artificum erroribus in rebus controversis non est cur queramur.

CA-

CAPVT XXXI.

De Tabulae, ac literarum magnitudine.

I. PLacuit in hunc locum reiicere modulum ipſum, ſive rationem magnitudinis Tituli, ut eam exactius duceremus ex ea portione, quam adhuc ſub oculis habemus: etenim Scriptores, qui de Tabulae extenſione verba fecerunt, pluribus modis erraſse, viſum eſt. Non enim defuerunt qui inter alia ita quadrangularem fuiſſe ſcripſerunt.



II. Altitudinem quippe totius ſacrae Tabulae palmi unius, & ultra; latitudinem vero, ſi rem bene perpendas, trium palmorum fuiſse conſtabit: in ſuperiore parte dimidio Inſcriptionis Hebraicae, deficientibus in lateralibus tum Graece IHCOΥC, tum Latin HIESVS, ac :: ACIΛЄΥC TΩN IȢΔΑIΩN, X IVDAEORVM.

III. Quod ad litteras ſpectat, eae tam Graecae, quam Latinae ſeſquunciales viſuntur, & quales ut plurimum in marmoreis Inſcriptionibus ſepulcralibus ſunt. Eaedem, utpote optimae, & Auguſti aevo valde proximae, ſic ſpatiis inter unam alteramque lineam aequis, & convenientibus diſtinctae fuerunt, ut interlineare aliquid inſeri poſset, quod in fine duarum inferiorum linearum eveniſse mea fert ſententia; attenta maxime ſpatioſitate, quae requi-

re-

rebatur ut ſcriberetur id quod deeſt, nempe ΑCΙΛЄΥC ΤΩΝ ΙȣΔΑΙΩΝ.

CAPVT XXXII.

Quo pacto affixa fuerit Dominicae Cruci Tabula.

I. VT recte diſquiri poſset quo pacto Tituli tabula aptata fuerit ſupra Redemptoris caput, ſciendum eſſet qualiter Crux Domini formata fuerit.

II. Plures enim ſunt qui volunt Crucem in formam Tau fabrefactam fuiſſe; non dubitantes prae ceteris illud Luciani afferre in Vocalium iudicio: *Ego quidem exiſtimo merito hoc ſolum ad ſupplicium ipſius Tau relinqui, ut poenam in ſua illa figura ſuſtineat, quod crux ab ipſo fabricata eſt.* Sunt item qui aſſerunt hanc literam Aegyptiorum myſteriis ſacratam eſſe, ac per eius effigiem Crucem ad vivum repraeſentantem, ſpem venturae ſalutis intelligi, ut in Sacra Hiſtoria auctor eſt Ruffinus. Hinc Tertulliani adverſus Marcionem Lib. IV. ſententia, ac B. Cypriani item in Lib. II. teſtimoniorum adverſus Quirinum Cap. 22. Ezechielis verba de litera Tau, quae in frontibus gementium iuſſu Dei imprimenda erat, de Cruce Dominica intelligenda ſunt. *Et dixit Dominus ad eum, tranſi per mediam Civitatem, & ſigna Tau ſuper frontes virorum gementium.* Caelius Rhodiginus ait *Tau* Gallicum Crucem appellari; nam Galli in formam *Tau* ſolebant crucem fabricare. Gregorius Turonenſis Lib. 5. Hiſt. c. 5. *Tunc etiam inſubita contemplatione parietes, & domorum, & Eccleſiarum ſignari videbantur; unde a ruſticis haec ſcriptio*


Tau

Tau *vocabatur*. Exstat in Tabulario Andegavensi, teste Du-Cangio, Charta Capituli Canonicorum S. Laudi, qua teneri se ii aiunt ad excipiendum *Comitem Andegavensem, uxorem, & liberos, quoties ad dictam Ecclesiam venerint, cum textu, turibulo, & aqua benedicta, tradendo dicto Comiti similiter in dicta receptione Tau eboreum, quod Fulco Rex Hierusalem dictae Ecclesiae dedit, quod habuit a Soldano Babyloniae*. Huc etiam pertinere opinatur Du-Cangius, subscritionem in Charta Edgari Regis Angliae apud Seldenum ad Gadmerum p. 159. *Ego Eadgifu praedicti Regis ava hoc opus egregium Taumate consolidavi*. Et alia in Charta Ethelaedi Regis, anni 988. in Monastico Angliae: *Ego Oswaldus Eboracensis Ecclesiae Archiepiscopus Crucis Taumate annotavi*. Hinc *Tau* est Crux in Sigillo, quod protuli, Ordinis S. Antonii in Delphinatu. *Tau* etiam pro Cruce; in vestibus servientium Ordinis Equit. D. Stephani, a quo ipsi *Tau* dicti sunt. In vestibus S. Antonii Abbatis Crux semper ad modum *Tau* depingitur. In D. Birgittae Revelationibus lego: *Erat autem Crux fixa, & brachia eius elevata, ita ut nodus Crucis inter scapulas esset, nec ullum capiti reclinatorium Crux praeberet*. Revel. Lib. IV.

III. His rationibus motus Pompeus Sarnellius ait; *La Croce non avea sopra il legno traverso cos' alcuna, ed era come il Graeco Tau; ma Pilato vi soprappose un cavicchio, e la Tavola affissa*. Cui quidem opinioni mirabiliter favent tum duo Diptycha sacra apud me, tum Imago Crucifixi, quam Lambecius refert, ut supra notavi. Hinc Nicephorus Callixtus auctor saeculi XIV. Lib. VIII. cap. 29. *Tabula praeterea alba inventa, in qua diversis literis Pilatus Regem Iudaeorum scripserat, eaque supra caput Christi collocata in morem columnae*, Graece: ἐν εἴ-

ὄει

δει στήλης. ideſt mea ſententia, ut capitulum columnae aptatur, veluti in hoc themate. Hae autem utpote dubia, & incerta in hunc locum protrahere libuit.



IV. At quo pacto, dicet quis, interpretabimur Sanctorum Patrum aliorumque ſenſum ſuper illud Apoſtoli ad Epheſios: *Vt poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profunditas: ſcire etiam ſupereminentem ſcientiae charitatem Chriſti?* Alludere enim credunt quatuor Crucis brachiis, quibus hodierna Crux, ut plurimum conſtat. Auguſtinum audiamus in Paulum: *Erat latitudo, in qua porrectae ſunt manus: longitudo a terra ſurgens, in qua erat corpus infixum: altitudo ab illo divexo ligno ſurſum quod eminet: profundum, ubi fixa erat Crux; & ibi omnis ſpes vitae noſtrae*. Item in Epiſt. ccxx. *Latitudo eſt in eo ligno, quod tranſverſum deſuper figitur; longitudo in eo, quod ab ipſo ligno uſque ad terram conſpicuum eſt: altitudo eſt in ea ligni parte, quae ab illo, quod tranſverſum figitur, ſurſum verſum relinquitur*. Scimus praeterea quod multi Scriptores aſſerunt Crucem fuiſse quadilateram, aſſimilantes eam vel avibus volantibus, vel hominibus natantibus, aut brachiis expanſis orantium; de quibus videre eſt doctiſſimum Ioſephum Averanium

nium in Lectionibus ſuis. En quo pacto Crucis brachium ſuperius conſtituebat quicquid Cruci ſuperimpoſitum erat; Columna nempe, & Titulus.

C A P V T XXXIII.

Tituli formula adhibita in aliquibus ſacris benedictionibus.

I. EAdem prorſus forma triumphalis Tituli noſtri utitur Eccleſia in aliquibus benedictionibus, & exorciſmis; unita praeſertim aliis verbis, vel imagini Sanctiſſimi Nominis, quam Divum Bernardinum Albizeſchium Senenſem propagaſse ex doctiſſima ſupra memorata Diſsertatione Cl. Commend. Victorii luce clarius adparet. Hanc item formam me legiſse teneo in nonnullis Eccleſiarum campanis (quamquam ea non recte praetermittatur ab Angelo Roccha in ſuo de Campanis Commentario,) ſed in iis in Italiae Civitatibus fuſis; non autem memini me oſservaſse in aliis, quae ex Anglia in exſpoliatione Eccleſiarum illius Regni ob heareſim, ope cuiuſdam Florentini mercatoris, ad noſtras Eccleſias pervenerunt.

II. Aiunt Religioſum quendam frontem ſuam cum noctu ad dormiendum ſe componebat, Titulo Crucis *Ieſus Nazaraenus Rex Iudaeorum* communire conſueviſse; atque poſt mortem haec ipſa verba aureis litteris inſcripta viſa eſse in eius fronte. Vide Nicquetum pag. 203.

CA-

CAPVT XXXIV.

Commentarii conclusio.

I. HAec sunt, quae brevi Dissertatione de Epigraphe S. Crucis dicere visum est, praecipue ut ostenderem, quod satis superque erat, Ioannem Evangelistam Crucis Inscriptionem accuratius, ut fecit, descripsisse: Helenam reperisse, & in Basilica Sessoriana condidisse; Gundisalvum Cardinalem, duosque Summos Pontifices publicae adorationi, & inspectioni exposuisse: plures denique Scriptores suis operibus imagines eiusdem missas inseruisse, & separatim omnium sub oculos posuisse, ut Artifices tandem aliquando eam fideliter exprimerent, ac repraesentarent. Vtinam ignorantia, & barbaries eorum in posterum genuinae veritati cedant! Si quando in Inscriptionibus profanis unius apicis defectus pro maximo habetur; cur in hac venerabilissima tum mysterii plena, tum Divini Agni sanguine conspersa, & sanctificata, defectus, depravationes, inversiones; quasi unicuique fictitia, & extranea illi apponere liceret? Si sacra profanis miscere, si res divinas cum humanis conferre mihi datur, nonne Virgilius morti proximus Tuccae, & Vario testamento legavit, ut scriptis suis nondum perfectis, & expolitis, transcribendo nil adderetur, aut demeretur, aut mutaretur? Si nefas, ac vetitum per leges erat communem Inscriptionem removere, vel violare; quae nunc impia, & sacrilega manus scelesto ausu audeat mutare, vel alterare Titulum in coelis ante saecula a Deo ipso excogitatum, decretum: quemque annuentibus, & obsecrantibus Iudaeis

ut

ut immutaretur, Pilatus volente Deo, fortiter restitit, dicens: *Quod scripsi, scripsi?*

II. Et revera: si tam provide cautum est, iam ab anno DCCLXXXIX. in Capitulari Aquisgranensi, ut si opus esset Evangelium, vel Psalterium scribere, perfectae aetatis homines scriberent cum diligentia: si tam prudenter statutum est, per Sacrosanctum Tridentinum Concilium, ne quid sacrarum Paginarum iniuria temporum vel artificum incuria, vel temere emendantium audacia ulla ex parte corrumperetur; cur non erit rationi consentaneum Sacrosanctam Epigraphen nostram Evangelii partem pristinae deinceps integritati, ac puritati restituere? De conservandis Sacrosanctae Fidei scriptis monumentis inlustria habemus exempla in Ecclesiastica Historia, quae nota sunt. Perbelle Isidorus in Missali Gothico alludens ad Imperatorum Edicta, quo praecipiebatur ut sacri Codices exurerentur, ait: *Non illas paginas negligentia perdidit, nec casus abolevit, nec vetustas cariosa corrupit; sed malitia persecutoris invidit.*



Ex Gemma Anuli veterum Christianorum.


DE INVENTIONE SANCTAE CRVCIS DISSERTATIO

FRANCISCI ANTONII ZACHARIAE

SOCIETATIS IESV



FRANCISCI ANTONII ZACHARIAE SOCIETATIS IESV DISSERTATIO DE INVENTIONE SANCTAE CRVCIS



CAPVT I.

Duplex Historia Inventionis Sanctae Crucis refertur.

I. NE Haereticis de Pontificiorum credulitate nescio quae monstra fingendi, tribuatur occasio, in ipso Dissertationis limine geminam oportet Historiam Inventionis Sanctae Crucis distinguere. Primae heic damus compendium ex Actis S. Iudae Quiriaci, quae ex quatuor Mss. Codd. & Mombritio Cl. Daniel Papebrochius *Tom. I. Maii die* 4. edidit. *Anno* 233. *post passionem Domini nostri Iesu Christi*

Constantinus anno Regni sui sexto visa in coelis Cruce, victor de barbaris ad Danubium, revertitur, & convocatis omnibus Sacerdotibus Idolorum, ut ex eis, cuius vel quid esset hoc signum Crucis, cognosceret, Romam deinde ad Eusebium Papam proficiscitur (intellexerat quippe, illud signum coelestis Dei esse) a quo fidem & Baptismum subscepit. Iussit autem aedificari ubique Ecclesias, templa vero Idolorum destrui. Mox Hierosòlymas mittit matrem Helenam cum exercitu magno, ut Crucem Dominicam quaereret. Haec Civitatem ingressa, conlectam Iudaeorum multitudinem increpat, delectosque ex eis peritiores semel iterumque adloquuta, iubet meliores deligi, qui sibi respondeant. His Iudas indicat, quaerendum de Cruce, & narrat, quae ab avo, & patre suo adceperit de Christo, Stephano, & Paullo. Rogant hi eum, ne Crucem indicet; sed ad ignem damnati Iudam produnt, qui varie tergiversatur, iuniorem potissimum aetatem caussatus, & septem dierum fame subactus, petit a Deo, ut sicut exaudiverat Moysen, & ostenderat ei ossa Ioseph, ita & nunc ostenderet occultum thesaurum, & ex loco abditae Crucis fumus aromatum adscendat; quo facto deprecans Christum, ut sui memor esset, seque cum fratre suo Stephano adnumeraret, coepit fodere. Cum autem fodisset passus viginti, invenit tres Cruces absconditas. Vera Domini Crux a ceteris duabus ex eo secernitur, quod ad eius contactum suscitatur mortuus, daemone frendente, & Iudae multa comminante; qui conroboratus in Christi fide baptizatur, & ab Eusebio Papa Hierosolymas Roma adcersito ordinatur Episcopus, Cyriaci nomine adsumpto. Deinde etiam pro clavis requirendis missus, indicio lucis coelestis repertos Helenae tradit, quae exinde fraenos filio fieri iubet, & incredulos Hebraeos a Iu-

Iudaea relegat. Haec historiae summa, quam capite sexto fusius expendemus,

II. Rem aliter narrant Ruffinus Aquileiensis, Theodoretus, Ambrosius, Chrysostomus, Paullinus, Sozomenus, & Socrates. Horum verba heic exscribenda, ex quibus scilicet quaestio universa sit dirimenda. Itaque Ruffinus Aquileiensis *Lib.* IX. *Hist. Eccles. seu Lib.* I. *Additamenti ad Historiam Eusebii, cap.* 7. *&* 8. haec habet, quae Romana Ecclesia in suum Breviarium transtulit: *Per idem tempus* (Concilii Nicaeni) *Helena Constantini mater femina incomparabilis fide, & religione animi, ac magnificentia singulari, cuius iure Constantinus & esset filius & crederetur, divinis admonita visionibus, Hierosolymam petit, atque ibi locum, in quo sacrosanctum Corpus patibulo affixum pependerat, ab incolis perquirit. Qui idcirco ad inveniendum difficilis erat, quod ab antiquis persecutoribus simulacrum in eo Veneris fuerat defixum, ut si quis Christianorum in loco illo Christum adorare voluisset, Venerem videretur adorare. Et ob hoc infrequens, & paene oblivioni datus fuerat locus; sed quum (ut supra diximus,) Religiosa femina properasset ad locum coelesti sibi indicio designatum, cuncta ex eo prophana & polluta deturbans, in altum purgatis ruderibus, tres confuso ordine reperit Cruces. Sed obturbabat reperti muneris laeticiam uniuscuiusque Crucis indiscreta proprietas. Aderat quidem & Titulus ille, qui Graecis, & Latinis, atque Hebraicis litteris a Pilato fuerat conscriptus, sed nec ipse satis evidenter dominici prodebat signa patibuli. Heic iam humanae ambiguitatis incertum, divinum flagitat testimonium. Adcidit in eadem urbe primariam quamdam loci illius feminam gravi aegritudine confectam, semianimem iacere. Macarius per idem tem-*

pus Ecclesiae illius Episcopus erat. Is ubi cunctantem Reginam, atque omnes pariter, qui aderant, videt: adferte, inquit, huc totas, quae repertae sunt, Cruces, & quae sit, quae portaverit Dominum, nunc nobis adaperiet Deus. Et ingressus cum Regina pariter & populis ad eam, quae decumbebat, defixis genibus, huiusmodi ad Deum precem profudit.

III. *Tu Domine, qui per Vnigenitum Filium tuum salutem generi humano per passionem Crucis conferre dignatus es, & nunc in novissimis temporibus adspirasti in corde ancillae tuae perquirere Lignum beatum, in quo salus nostra pependit; ostende evidenter ex his tribus, quae Crux fuerit ad Dominicam gloriam, vel quae extiterit ad servile supplicium, ut haec mulier, quae semiviva decumbit, statim ut eam Lignum salutare contigerit, a mortis ianuis revocetur ad vitam. Et cum haec dixisset, adhibuit primo unam ex tribus & nihil profecit. Adhibuit secundam, & ne sic quidem aliquid actum est. Vt vero admovit tertiam, repente adapertis oculis mulier consurrexit, & stabilitate virium recepta, alacrior multo quam cum sana fuerat, tota domo discurrere, & magnificare Dei potentiam coepit. Sic evidenti iudicio Regina voti compos effecta, Templum mirificum in eo loco, in quo Crucem repererat, regia ambitione construxit. Clavos quoque loco, quibus Corpus dominicum fuerat affixum, portat ad filium: ex quibus ille fraenos composuit, quibus uteretur ad bellum. Et ex aliis galeam nihilominus belli usibus aptam fertur armasse; Ligni vero ipsius salutaris partem detulit filio; partem vero thecis argenteis conditam dereliquit in loco: quae etiam nunc ad memoriam sollicita veneratione servatur.* Hactenus Ruffinus.

IV. Audiendus nunc Theodoretus Ecclesiasticae *Hi-*

Hiſtoriae Lib. 1. cap. 17. edit. Sirmund. Huius Epiſtolae (cap. ſuperiore deſcripſerat Auctor Epiſtolam a Conſtantino ad Macarium Hieroſolymorum Epiſcopum datam *de Dei templo exſtruendo*) *huius epiſtolae lator alius non fuit, quam ipſa Imperatoris mater, praeclari filii parens illa, & a piis omnibus decantata, quae magnum hoc lumen peperit, & pietatis alimenta illi praebuit. Haec enim itineris labores pertulit, ſenectutis incommoda non reputans: paullo namque ante mortem iter hoc ſubſcepit; obiit autem octogenaria. Poſtquam ergo locum illum conſpexit, qui communis ſalutis cruciatus excepit, continuo exſecrandum illud ſanum deturbari, humumque exportari iuſſit. Vbi vero emerſit Sepulcrum, quod latebat, tres circa dominicum monimentum defoſſae Cruces apparuerunt: & harum quidem unam Domini noſtri Ieſu Chriſti fuiſſe, reliquas latronum, qui una cum eo ſuffixi ſunt, ſine controverſia credebant omnes: ceterum quaenam illarum Domini corpus tetigiſſet, & pretioſi ſanguinis guttis adſperſa fuiſſet, penitus ignorabant. Sed ſapientiſſimus, planeque divinus Macarius dubitationem ad hunc modum exemit. Femina erat inluſtris, & quae diuturno morbo tenebatur. Huic quum ſingulas Cruces cum precibus intente adplicuiſſet, ſalutaris Crucis virtutem deprehendit. Simul enim ut feminae haec admota eſt, gravem illius morbum depulit, ſanitatemque reſtituit. Re comperta, voti compos facta Imperatoris mater, clavorum partem galea regia incluſit, filii capiti conſulens, ut hoſtium tela repelleret: partem equi fraeno indidit, & Imperatoris ſaluti proſpiciens, & vetus explens oraculum, quod olim Zacharias Propheta ediderat:* Et quod in fraeno equi ſanctum Domino Omnipotenti. *Salutaris vero Crucis partem palatio deſtinavit: reliquum argentea*

tea theca fabricata conditum Episcopo dedit, ut ad posteritatem salutis nostrae monimenta servarentur.

V. Paullo aliter rem narrat Ambrosius *Oratione de obitu Theodosii Anxia mater* (Helena) *pro filio, cui regnum orbis Romani cesserat, festinavit Hierosolymam, & scrutata est locum Dominicae passionis . . . . Venit ergo Helena, coepit revisere Loca sancta; infudit ei Spiritus, ut lignum Crucis requireret, adcessit ad Golgotha . . . Aperit itaque humum, decutit pulverem; tria patibula confusa reperit, quae ruina contexerat, inimicus absconderat. Sed non potuit obliterari Christi triumphus. Incerto haeret: haeret ut mulier; sed certam indaginem sanctus Spiritus inspirat, eo quod duo Latrones cum Domino crucifixi fuerint. Quaerit ergo medium lignum. Sed poterat fieri, ut patibula inter se ruina confunderet, casus inverteret. Redit ad Evangelii lectionem; invenit, quia in medio patibulo praelatus Titulus erat Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum. Heinc collecta est series veritatis, Titulo Crux patuit Salvatoris . . . . Quaesivit clavos, quibus crucifixus est Dominus, & invenit. De uno clavo fraenos fieri praecepit, de altero diadema intexuit . . . . Misit itaque filio suo Constantino diadema gemmis insignitum, quas pretiosior ferro innexa Crucis redemtionis divinae gemma connecteret. Misit & fraenum. Vtroque usus est Constantinus, & fidem transmisit ad posteros.*

VI. Crucem ex Titulo agnitam docet etiam Iohannes Chrysost. cuius haec verba *Hom.* 85. *al.* 84. *in caput Io.* 19. *Non tamen Pilatus mutatus est, sed perstitit in sententia. Non parva in hoc dispensatio, sed magna heinc pendet. Quum enim postmodum defossum esset lignum Crucis, nulla de eo cura subscepta, quum & fideles timerent, & aliis vacarent, contigit*

git ut diu post perquireretur: & quum tres Cruces inventae essent, pares, & quia media erat, & propter Titulum Domini Crucem agnitam: nam Latronum Cruces titulum non habebant.

VII. Sed Paullinus Nolanus *Epist.* 31. *al.* 11. ad Severum occasione particulae sanctissimae Crucis ad ipsum mittendae, haec de Crucis inventione refert. *Regina illa venerabilis* (Helena, quam supra suo nomine designat) *& venit Hierosolymam . . . Crucem Domini studiosissime inquirere adorsa est . . . Itaque non solum de Christianis doctrina & sanctitate plenos viros, sed & de Iudaeis peritissimos, ut propriae (qua & miseri gloriantur) impietatis indices exquisivit, & accitos in Hierosolymam congregavit. Tum omnium una de loco testificatione confirmata iussit illico, ingente sine dubio conceptae revelationis instinctu, in ipsum locum operam fossionis adcingi; parataque mox civium pariter, & militari manu, brevi laborem ipsius molitionis hausit, & contra spem omnium, sed secundum ipsius tantum Reginae fidem, alta egestione reseratis terrae sinibus abditae Crucis arcana patuerunt. Sed quum tres pariter Cruces, ut quondam fixae Domino, & latronibus steterant, repertae fuissent, gratulatio repertarum coepit anxia dubitacione confundi iusto piorum metu, ne forsitan aut pro Cruce Domini patibulum Latronis eligerent, aut salutare Lignum pro stipite Latronis abiiciendo violarent. Respexit pias fideliter aëstuantium curas Dominus, & ipsi potissimum, quae tam piae solicitudinis princeps erat, huius consilii lumen infudit, ut aliquem recens mortuum inquiri, & inferri iuberet. Nec mora, Verbum factum, cadaver inlatum est: deponitur, iacenti una de crucibus admovetur, & altera: sed reorum ligna mors spernit. Postremo dominicam Crucem*

pro-

prodit resurrectio, & a salutaris ligni tactum morte profuga funus excussum, & corpus erectum est.

VIII. Dignus etiam est, qui hanc in rem exscribatur, Socratis locus *Hist. Eccles. Lib.* 1. *cap.* 17. *Edit. Vales. Mater Imperatoris Helena . . . a Deo in somnis admonita, venit Hierosolyma. Et . . . Christi monumentum, in quo ille sepultus resurrexit, studiose coepit percurrere. Ac difficile quidem illud; sed tamen opitulante Deo tandem reperit. Quae vero caussa fuerit huius difficultatis, paucis aperiam. Qui Christi fidem sequebantur, post mortem eius monumentum istud magnopere coluerunt. Hi vero qui a Religione Christi abhorrebant, locum adgere opplentes, templum Veneris in eo exstruxerunt, & simulacro superposito, memoriam loci penitus abolere studuerunt: & hoc quidem olim eis successerat. Verum Imperatoris matri ea res innotuit. Deturbato igitur simulacro, egestaque humo, & loco undique repurgato; tres Cruces in monumento reperit . . . Cum his inventa etiam est tabella, in qua Pilatus Christum Crucifixum, Regem esse Iudaeorum, variis linguis ac literis pronunciaverat. Sed quoniam ambiguum erat, quaenam esset Crux illa, quae quaerebatur, Mater Imperatoris non mediocri dolore adfecta est: quem quidem brevi post tempore Hierosolymorum Episcopus, nomine Macarius, sedavit, & ambiguitatem omnem fidei virtute dissolvit.*

IX. *Signum enim a Deo petiit, & impetravit. Signum vero fuit huiusmodi. Mulier quaedam illius loci, diuturno confecta morbo, iam in ipso mortis articulo erat constituta. Huic ergo animam agenti, Episcopus singulas Cruces adponi iubet; certissime sibi persuadens, fore ut mulier pristinae valitudini restitueretur, si pretiosam Domini Crucem adtigisset.*

Nec

Nec vero ſpes eum fefellit. Admotis enim duabus Crucibus, quae Dominicae non erant, mulier nihilominus in ſummo vitae diſcrimine remanſit. Adhibita vero tertia, quae vera Domini Crux erat, illa in vitae mortiſque confinio poſita, ſtatim convaluit, & priſtinum vigorem recuperavit. Hoc igitur modo repertum eſt Crucis Lignum. Imperatoris autem mater in ipſo quidem ſepulcri loco templum magnificum exſtruxit, & novam Hieruſalem cognominavit, quam ex adverſo veteris illius, ac deſertae condiderat. Crucis vero portionem unam, argentea incluſam theca, iis, qui viſere eam vellent, ad perpetuam memoriam illic reliquit: alteram vero ad Imperatorem miſit. Quam ille quum adcepiſſet, pro certo habens Civitatem illam perpetuo incolumem fore, in qua hoc pignus ſervaretur, in ſtatua ſua recondidit, quae Conſtantinopoli in Foro, quod Conſtantini dicitur, ſuper ingenti columna purpurea poſita eſt. Atque hoc quidem auditione adceptum, huic hiſtoriae inſerui. Omnes tamen ferme, qui Conſtantinopolim incolunt, id verum eſſe adfirmant.

X. *Clavos praetera, quibus Chriſti manus Cruci, fuerunt adfixae, quum idem Imperator adcepiſſet: nam & hoc in monumento repertos mater ad ipſum miſerat: fraena ex illis, & galeam fabricari iuſſit, iiſque uſus eſt in bello. Ceterum Imperator quidem, materiam omnem ad conſtitutionem Eccleſiarum adfatim ſubminiſtravit. Scripſit etiam ad Macarium Epiſcopum, ut opus ipſum adceleraret.* Haec Socrates. Nec abſimilia habet Sozomenus *Hiſt. Eccl. Lib.* II. *cap.* 1. quae propterea conſulto omittam. Tria tamen exſcribenda ſunt, quae lucem iis adferent, quae poſtea dicturi ſumus. Primum eſt, Sepulcri locum ex Sozomeni mente patefactum eſſe *ſive indicio cuiuſdam Hebraei in Orientis partibus degentis,*

ut

ut quidam aiunt, qui paterno quodam ſcripto edoctus. *rem indicavit: ſive, ut verius opinari licet, Deo ſignis quibuſdam, ac ſomniis eum oſtendente*. Alterum eſt, Sozomenum hanc difficultatis in Dominica Cruce dignoſcenda adſignare cauſſam: *quippe quum eius inſcriptio ab ipſo divulſa, proiectaque eſſet: ac ſimul tres Cruces temere diſiectae; ordine illarum, ut veriſimile eſt, tunc confuſo, quum corpora damnatorum ex illis depoſita ſunt*. Tertium: Narrationi feminae ſeminecis valitudini reſtitutae, hiſtoricum addere: *Aiunt etiam mortuum eodem modo ad vitam eſſe revocatum*.

XI. Neque heic praetereundus inſignis Sulpicii Severi locus Hiſt. Sacrae Lib. II. cap. 34. *Helena primum de loco paſſionis certior facta, admota militari manu, atque omnium Provincialium multitudine in ſtudia Reginae certantium, effodi terram, & contigua quaeque, ac vaſtiſſima ruinarum purgari, iubet: mox pretium fidei, & laboris tres pariter Cruces ſic, ut olim Domino ac latronibus duobus fixae fuerant, reperiuntur. Heic vero maior dignoſcendi patibuli, in quo Dominus pependerat, difficultas omnium animos, menteſque turbaverat, ne errore mortalium forſitan pro Cruce Domini latronis patibulum conſecrarent. Capiunt deinde conſilium, ut aliquem recens mortuum crucibus admoverent. Nec mora, quaſi Dei nutu funeris exſtincti ſolemnibus exequiis deferebatur, concurſuque omnium feretro corpus eripitur. Duabus prius fruſtra Crucibus admotis, ubi Chriſti patibulo adtactum eſt, dictu mirabile! trepidantibus cunctis funus excuſſum, & inter ſpectatores ſuos adſtitit: Crux reperta, dignoque ambitu conſecrata*.

CA-

CAPVT II.

Vtramque historiam veram esse probatur, quod ad ipsam Crucis Dominicae inventionem adtinet.

I. AGendum nunc adversus Magdeburgenses, Hospinianum, Rivetum, Salmasium, Dallaeum, Basnagium, aliosque Heterodoxos, qui vel Inventionem Sanctissimae Crucis fabulis aperte adnumerant, vel dubiam saltem, ancipitemque ea super re animum praeseferunt. Enim vero quis procacium hominum ferre possit audaciam? Rem tot ac tantis testimoniis comprobatam negare profecto vel insani hominis est, vel impudentis. Ambrosius, Chrysostomus, Paullinus, Sozomenus, Socrates, atque Sulpicius Inventae Cruci proximi tempore fuere. Crucem enim inventam esse anno 326. Capite quarto ostendemus. Ambrosius vero anno 395. Orationem illam de obitu Theodosii conscripsit. Chrysostomus diem supremum obiit anno 407. Paullinus iuxta Cl. Petri Chiffletii Societ. nostrae subputationes epistolam ad Severum anno 402. dedit. Florebat Sozomenus & Socrates sub Theodosio Iuniore, ad cuius Consulatum XVII. annum scilicet 439. Historiam suam uterque deduxit. Terris sublatus est Severus anno 420. Porro Ruffinus, ac Theodoretus non illa solum tempora pene adtigerunt (Viris enim eruditis certum est, illum S. Hieronymo, qui ad coelos migravit anno 420., superstitem haud fuisse; hunc vero vel paullo post Calchedonense Concilium anno 451. celebratum, uti cum Sirmundo Garnerius contendit, vel iuxta Labbeum

beum anno 466. vel serius, quod aliis visum est, anno 470. vita cessisse :) Ruffinus, inquam, ac Theodoretus non illa solum tempora paene adtigerunt; sed loco etiam proximi fuere: hic enim in Cyro urbe Syriae fuit Episcopus; ille in Syria diu multumque versatus est.

II. Quaenam, obsecro, historia fidem habitura est, si haec tot paene aequalibus testimoniis innixa labet? Atque id maiorem huic argumento vim addit, quod ad Centuriatorum tempora nemo unus vel ex Historicis, vel ex Patribus, vel ex Martyrologis reperiatur, qui utriusque historiae superiore capite descriptae veritatem (ad ipsam inventionem quod spectat) suo calculo non confirmarit. Conantur quidem Centuriatores nobis Ambrosium eripere, atque *Erasmus*, inquiunt, *Cent.* IV. *cap.* 15. *iudicat haec scripta* (Orationem de obitu Theodosii) *non esse Ambrosii. Merito igitur de fide laborat historia*. Imo Lutherianus nescio quis Ministellus, quem subpresso nomine sugillat, atque refellit eruditissimus Gretserus *Lib.* 1. *de Cruce cap.* 77. & Gerardus Ienensis Mataeologus apud Labbeum, Paullinum frustra a nobis adduci contendit; neque enim constare, ait, utrum opera S. Paullini illum revera Auctorem habeant. Sed, ut nihil pro Inventae Crucis historia Ambrosius, nihil Paullinus subgereret; quid miseri illi scribillatores proferent, quo cetera testimonia infringant? Praeterea quod ad Ambrosii Orationem adtinet (nam Criticus ille Paullinianorum operum mastix non calamo, sed fuste egregie mulctandus foret) *Optima* sane *collectio!* (inquit Alfordus noster *Tomo* I. *Annal. Ecclesiae Britannicae ad ann.* 326. *num.* 27.) *Vnus modernus Grammaticus homo, pro tribunali sedens de Patrum scriptis iudicat, nimirum sutor ultra crepidam; & inde con-*

concludi debet, non modo non ita ſcriptum ab Ambroſio; ſed nec ita dictum, factumve ab Helena. Apage has moderni ſeculi ſordes. Quod ſi cuipiam aliquanto acrior haec ab Alfordo inuſta Eraſmo cenſura videatur; illud ſaltem cum modeſtiſſimo Bellarmino Lib. II. de Reliq. Sanct. cap. 27. num. 27. fatendum erit, *non eſſe Eraſmum divinum oraculum, cui neceſſario credi debeat, quando nullam adfert rationem;* imo dum contra ipſum, (quod Benedictini Editores Operum S. Ambroſii in admonitione praevia in eam Orationem Tom. XI. apte animadvertunt) *intexta hiſtoricorum eventuum ſeries, ſtylus operis, & Scripturae interpretandae, & argumento accomodandae ratio invicte pugnat.* Et videtur quidem eo loco Ambroſius a praecipuo Orationis ſuae inſtituto excurrere; verum & id ab Ambroſii conſuetudine haud abhorret, ut iidem Benedictini Patres ſcite notarunt; & hoc loco ut fieret, plura ſuadere potuerunt Ambroſio, ut nempe propoſito Conſtantini, atque Helenae exemplo ad ſimilia Chriſtianae pietatis opera adoleſcentem Imperatorem inflammaret; aut etiam ut Theodoſii, qui & ipſe Crucis cultor egregius foret, tacite laudandi anſam adriperet. Vide Trombellium, eruditum ſane Theologum in *Appendice de Cruce Sect.* II. *Cap.* VI.

III. Et illud palmare Magdeburgenſium mendacium eſt, aientium, Ambroſium antiquiſſimum omnium eſſe, qui hanc hiſtoriam referat. Dabo teſtem Ambroſio paullo antiquiorem, S. Cyrillum intelligo Hieroſolymorum Antiſtitem, qui anno 386. aut 389. 18. Martii migravit ad ſuperos. Hic in Epiſtola ad Conſtantium Imperatorem de ſigno lucidae Crucis, quod Hieroſolymis Nonis Maii in coelo adparuit, ſcribens, ſive anno 351. ſecundum Pagii,

Til-

Tillemontii, ac Touttaei rationes, ſive 352. iuxta Noriſium, ſive, quod Baronius ſenſit, 353. ſive demum cum Bollandianis 356. aut inſequente: *Tempore quidem*, inquit, *Deo amiciſſimi, ac felicis recordationis Conſtantini Patris tui, ſalutare Crucis lignum in Hieroſolymis eſt repertum: divina gratia Viro pietatem recte quaerenti hoc largiente, ut abſconditos ſanctos locos inveniret.* Quidquamne clarius deſideres? At, inquit, Rivetus *Lib.* III. *Critici ſacri Cap.* 11. eam aut non a Cyrillo, aut a Cyrillo Arriano ſcriptam. Egregiam enimvero invicta argumenta ſolvendi rationem! Atque ego quidem in futilibus homunculi illius coniecturis diluendis haud immorarer, quum id iamdudum praeſtiterint non Catholici modo Labbeus de *Script. Eccleſ.* Bollandiani *Tom.* II. *Martii in Comm. Hiſtorico de S. Cyrillo* §. 4. Natalis Alexander *ſeculi* IV. *cap.* 6. *art.* 12. circa finem, Auguſtinus Touttaeus in *Praeloquio ad hanc epiſtolam;* ſed etiam Heterodoxi Guillielmus Cave, ac Thomas Milleſius in *Praefatione ad ſuam Oxonienſem S. Cyrilli editionem anni* 1703. *num.* 2. Verum ut hac de re diſputem, facit miſer apoſtata, ac perpetuus Riveti deſcriptor Caſimirus Oudinus, qui Tom. I. *ſui Commentarii de Scriptoribus, & Scriptis Eccleſiaſticis, Diſſertationis de Vita & Scriptis S. Cyrilli Capite* v. *pag.* 471. *Epiſtolam illam ſubpoſitam Cyrillo, ac contrarietates continentem pronunciat.*

IV. Verum antequam cum eo congredior, paucis huius Epiſtolae autenthia ſtabilienda a nobis eſt. Ac primum quidem vera eſſe, quae de ſigno Crucis Hieroſolymis viſo ibi narrantur, quis neget? quum Philoſtorgius, Socrates *Lib.* II. *c.* 28. Sozomenus *Lib.* IV. *cap.* 5. Idatius in *Faſtis Conſularibus*, Chronicon Paſchale, ſive Alexandrinum

ad

ad *ann.* 351. Theophanes, Cedrenus, Michael Glycas, Nicephorus Calliſtus hocce portentum unanimi conſenſione teſtificentur; immo non in Typico ſolum Monaſterii S. Sabae, ſed etiam in communibus totius Graecae Eccleſiae Faſtis ad VII. *Maii* conſignatum ſit, quotannis recolendum. Quid? quod eius condicionis res eſt, quae nec fingi tuto, ſi falſa ſit, nec ficta fidem invenire queat. Quod vero narratio illa Cyrillum auctorem habeat, teſtis eſt Glycas ſeculi XII. ſcriptor, Theophanes IX. & Sozomenus Cyrillo paene aequalis, in loco, quem nuper adpellavi. Reddo eius verba: *Ipſe quoque Imperator ea de re certior factus eſt, tum ex multorum aliorum relatione, tum ex literis Cyrilli Epiſcopi ad ipſum datis*. Fruſtra autem Oudinus Sozomeni teſtimonium eludere nititur, dum ait, *Conſubſtantialem Trinitatem* ab huius epiſtolae auctore agnoſci; at Cyrillum Semiarrianum hominem fuiſſe, vel ipſo Sozomeno teſte *Libri eiuſdem* IV. *cap.* 25. ubi haec de Acacio, & Cyrillo: *Nam & antea uterque eorum in ſubſpicionem venerat; Acacius quidem, quod cum Arrio idem ſentiret: Cyrillus vero, quod eos ſectaretur, qui Filium Patri ſimilem ſecundum ſubſtantiam adſerebant*. Fruſtra, inquam, haec Oudinus; neque enim heinc fit, ut ipſe colligit, Sozomenum non ſibi conſtare.

V. Et vero ea Filii ſimilitudo, quam a Cyrillo propugnatam heic innuit Sozomenus, non alia eſt ab Homouſia, quam Catholici defendebant. Etenim heic cum Acacio Cyrillus confertur; at Acacius Filium Patri ſimilem Acatholico ſenſu libris, ac voce tuitus ipſo hoc tempore fuerat. Sic in profeſſione Antiocheni Concilii, ut Auctor eſt Athanaſius *de Synodis num.* 31. *Filium in nullo diſſimilem paternae divinitatis, ſubſtantiae, & poteſtatis imaginem ad-*

adseruerat. Idem ante Seleuciensem Synodum epistolam ad Macedonium scripserat, & librum ediderat, quo substantiae similitudinem defendebat. Quei igitur idem sentire poterat Cyrillus, atque Acacius, quum Sozomenus ipse ante verba ab Oudino adlata adfirmet, eos *inimicitias inter se subscepisse, seseque mutuo adcusasse, quod non recte sentirent de Divinitate?* Eam igitur substantiae similitudinem propugnabat Cyrillus, quam a se defendi praetexebant, Hilario teste, *de Syn. num.* 79. Sirmiensis formulae an. 357. auctores Vrsacius & Valens, excusantes, *se idcirco homoiision, & homoeiision taceri voluisse, quia unum atque idem significari verbo utroque existimarunt*; consubstantialitatem nimirum, quae recte intellecta eadem ipsis Athanasio, Hilario, ac Basilio, atque substantiae similitudo est. Quamobrem nihil est, cur miremur, Nicephorum Callistum *Lib.* IX. *cap.* 46. Sozomeni locum paullo aliter vertisse: *Acacius enim* (ait ille Graecae linguae, ut equidem reor, Oudino aliquanto peritior) *potius Arriana dogmata praedicabat; Cyrillus vero eos, qui consubstantialitati adhaerebant, a principio sequebatur*.

VI. Sed quid de Sozomeni mente disputo? Ipsam, qua de agitur, epistolam consulamus. Primis profecto Cyrilli in Episcopatu annis optime congruit exordium epistolae: *Primas hasce ex Hierosolymis ad te, Deo dilecte Imperator, mitto litterarum oblationes, quas & te deceat adcipere, & me dare*. Eadem praeterea est, quae in Catechesibus observatur, styli simplicitas & humilitas, intricatae interdum locutiones, phrases longiores, parentheses crebrae, earumdem rerum repetitiones. Similes quoque & familiares Cyrillo locutiones heic invenies. Sic *num.* v. Crucis tropaeum vocat καύχημα καυ-

χημάτων

χυμάτων gloriationem gloriationum, ut *Catech.* XIII. *num.* 1. Diabolum *num.* 6. *obpositam potestatem* adpellat, quo scilicet nomine eumdem designat *Catech.* XX. *num.* 3. Sed de hoc plura vide sis apud Toutteum in *Praeloquio num.* 7. Quid igitur, quaeso, sit quod ad eam epistolam Cyrillo abiudicandam cordatum hominem impellere possit? Num quod illam Hieronymus non viderit Hierosolymis, unde missa est? Sed quam ibi non vidit Hieronymus, qui nec cetera Cyrilli gesta probe novit, nec ceterorum Scriptorum, qui suis temporibus floruerant, libros omnes recenset, ut facile esset demonstrare, & monuit etiam Trombellius pag. 290. epistolam illam, Constantinopoli, quo missa est, vidit Sozomenus. Num quod *consubstantialis* vocabulum in ea usurpetur, quod Cyrillus non usquequaque probabat? At (utne cum P. Le Quien dicam, hocce vocabulum ab Amanuensibus fortasse immissum fuisse) quum certis argumentis Bollandiani, ac Toutteus Cyrillum ab omni Arrianae haereseos subspicione vindicarint; adeoque dubitari non possit quin Cyrilli doctrina eadem fuerit, quae Athanasii, aliorumque Homousiae Defensorum; non est, cur id nomen a Viro Sanctissimo usurpatum fuisse admiremur.

VII. Scio, quid Rivetum in absurdissimam sententiam pertraxerit; nimirum blandis verbis Constantium auctor compellat, & forte immeritis laudibus ornat. Verum haud satis video (inquit post Natalem Alexandrum, aliosque Thomas Milesius) an inde quis recte conlegerit, Cyrillum huiusce Epistole non fuisse auctorem. Quisumquam dicere auderet, Gregorium Nazianzenum non fuisse auctorem primae contra Iulianum Orationis, aut Ambrosium epistolae ad Valentinianum tertiae, quia

 in

in his eorum ſcriptis laudatur Conſtantius. Athanaſius in *Apologia num.* 1. Conſtantium vocat *ab atavis uſque ſuis religioſum, Paulli verborum ſtudioſum auditorem, ac num.* 18. *&* 24. *Deo dilectiſſimum Imperatorem. Piiſſimum* dicit Hilarius in *L.* 2. *ad Conſtantium num.* 1. *Optimum, ac Religioſiſsimum num.* 4. *beatae religioſaeque voluntatis num.* 8. Epiphanius *h.* 69. *num.* 12. *pium ac multis modis bonum* appellat. Quid tum? Idcirco ne Rivetus omnibus hiſce libris nigrum theta adfiget? Praeterea nondum eo tempore gravia illa in Catholicos facinora deſignarat Conſtantius, quae poſtea perpetravit: neque ſub eius auctoritate Arriani occultum virus pandere iam auſi fuerant, ſed primum in Concilio Mediolanenſi quatuor abhcinc aut circiter annos coacto: imo poſt Concilium Sardicenſe reconciliata nuper pax erat, Athanaſio Imperatoris benignitate ſedi ſuae reſtituto. Plurima quoque fuerunt in Conſtantio laudanda; Odium adverſus Idololatriam, Amor erga Chriſtianam Religionem, ingenii acumen, prudentia, fortitudo, ceteraeque tum hominis, cum Imperatoris dotes. Atque hcinc conſtat, quam inepte haec Epiſtolae verba obiiciat Baronio Oudinus, quibus ȣ λόγων κολακείας πεπληρωμένας *non verborum adulationibus refertas* ſe dare literas adſerit Auctor. Nam praeterquamquod id omnibus, qui aliquem laudant, ſive literis, ſive in familiari ſermone, commune fere eſt, & quotidianum, ut illud profiteantur, ſe non adulandi cauſſa loqui, hocque potiſſimum dum adſentantur: vix aliter Magnatibus, ac Regibus ſcribitur etiam a ſanctis Viris.

VIII. Baſnagius *Tom.* II. *Annal. Politico Eccleſiaſt.* Ann. D. 326. aliam init viam, ut ductum ex Cyrilli teſtimonio argumentum infringat. Audi. *Ex-*

Excogitatam esse Crucis Inventionem, partim ut pergratum fieret Constantio, qui reliquiis extra modum delectaretur, partim ut Ecclesiae Hierosolymitanae honos adcumularetur, quid vetat? Proh! hominum fidem! Quidni probatissima quaeque tum profanae, tum sacrae Historiae monumenta hoc praeclaro argumento in dubium revocemus? At *nonne Iuvenalis*, inquit Basnagius, *Cyrilli de subcessoribus unus per commentitia scripta Palaestinae principatum extorquere voluit, docente Leone epist.* 62. (ea est 92. in edit. Quesnelli) *ad Maximum Antiochenum Episcopum*. Quid ergo, si ipse arguam. *Iuvenalis Cyrilli de successoribus unus in* II. *Ephesino Concilio ann.* 449. *cum aliis Orientalibus exilii metu Dioscori sententiae subscripsit: qua de caussa in Calchedonensi Synodo ann.* 451. *communibus suffragiis damnatus est: Igitur & Cyrillus in Concilio quopiam haeretici alicuius sententiae suffragatus est, & in aliqua Synodo anathemate perculsus*. Propius ad rem: Crucis Inventionem Cyrillum non esse commentum nonne eadem ratiocinatione conficere possem, quia Iohannes, Praylius, & alii illius subcessores nihil unquam finxisse reperiuntur? Pudeat enimvero hominem, qui errores Baronio evellendos subscepit, puerilibus hisce ludere argutationibus. Sed & illud non omittendum. Quum Iuvenalis Principatum per commentitia scripta firmare contendit: Leone ipso teste, *id Cyrillus Alexandr. Episcopus merito perhorrescens, scriptis suis, quid praedicta cupiditas ausa sit*, Leoni *indicavit, & solicita prece multum poposcit, ut nullis inlicitis conatibus praebeatur adsensus*. Quem autem dabit Basnagius, qui Cyrillo Crucis Inventionem enarranti obstiterit? Imo vero innumeros, qui ipsam illam historiam posteritati com-

mendaverint, antea adlegavimus. Quid? quod huiusmodi historia eius naturae est, & condicionis, ut non solum tuto dissipari non possit, si falsa sit; sed ne praeterquam aut ab impudentissimo, aut amentissimo confingi.

IX. At Hieronymus Cyrillum eiusmodi coloribus pingit in Chronico, quibus existimari forsan posset, animum a piis fraudibus alienum non gestasse. *Cyrillus*, inquit ille, *quum a Maximo fuisset Presbyter ordinatus, & post mortem eius, ita ei ab Acacio Episcopo Caesariensi, & ceteris Episcopis Arrianis Episcopatus permitteretur, si ordinationem Maximi repudiasset, Diaconus in Ecclesia administravit. Ob quam impietatem Sacerdotis mercede pensatus, Heraclium, quem moriens Maximus in suum locum substituerat, varia fraude solicitatus, de Episcopo in Presbyterum regradavit*. Non nego. Sed (ne in longum abeat disputatio, ceteris omissis, quae hanc in rem Cl. Toutt. *Diss.* 1. *de Vita S. Cyrilli cap.* 5. *a num.* 28. differit,) primum Hieronymo obponimus longe graviorem Patrum Constantinop. Concilii inter Oecumenica secundi auctoritatem, qui in *Epistola ad Damasum, & Occidentales*, Ecclesiasticarum Orientis rerum statum exponentes, ita de Cyrillo apud Theodoretum loquuntur *L.* 5. *Hist. cap.* IX. *Hierosolymitanae autem Ecclesiae, quae mater est omnium Ecclesiarum, Reverendissimum Deoque dilectissimum Episcopum esse indicamus: qui & canonice olim ab Episcopis Provinciae ordinatus fuit.* Porro praesens fuerat Cyrillus anno superiore Constantinop. Concilio ex eisdem Episcopis congregato, quibus ipse sine dubio ordinationis suae rationem propter maledicta inimicorum exposuerat. At vero ex adversariorum relatione, aut vulgatis sermonibus ea Hieronymo excidisse non miror, qui non-

nondum in Syria ſatis verſatus fuerat, ut Eccleſiae in iis regionibus ſtatum penitus pernoſceret (Chronicum enim ſuum iunior Conſtantinopoli ante illud Concilium ſcribebat) ac ſe Paullinianis ita partibus addixerat, ut omnia in deterius de diverſae partis hominibus adciperet. Secundo etſi Cyrillum fraudibus nonnumquam uſum permitterem; in re tamen qua de agitur, nullius fraudis ſubſpicio eſſe poteſt. Quid? enim. An Imperator is erat, quem commentis ludere poſſet, & ea quidem in re, cuius aut certior erat, aut certior fieri ſtatim poterat? Eat Baſnagius, & nugas haſce ſuis Batavis vendat.

CAPVT III.

Aliud pro Inventae Crucis hiſtoria argumentum Magdeburgenſibus obiicitur: Vbi, & de Cyrilli Catecheſibus adverſus Oudini cavillationes diſputatur; tum de feſto die Inventionis S. Crucis diſſeritur.

I. ET illud egregium pro Crucis Inventione argumentum, quod ante Conſtantini tempora neminem invenire ſit, qui Hieroſolymam Crucis viſendae ſtudio adierit; neminem qui Crucis particulas expetierit, ex collo geſtarit, alteri miſerit: poſt vero Conſtantinum nihil apud Patres, atque Hiſtoricos obcurrat frequentius. De itineribus poſt Conſtantinum Hieroſolymam Crucis adorandae cauſſa peractis, teſtis eſt luculentiſſimus S. Paullinus Nolanus *Ep.* 31. *al.* 11. *ad Severum*,

ubi ait, Crucem Hierosolymis, Paschatis tempore excepto, non fuisse ostensam, *nisi interdum religiosissime postulent, qui ea tantum caussa illò peregrinati advenerint, ut sibi eius revelatio, quasi in pretium longinquae peregrinationis deferatur*. Vide plura apud Gretserum *Tom.* I. *de Cruce l.* 1. *cap.* 73. *&* 76. Quanto vero Crucis particulas desiderio expetierint Veteres, facile ex Paullino, atque Iohanne Chrysostomo conligi potest. Ille quippe *epist.* 36. *ad Macarium* ex communi sui temporis iudicio, magnae benedictionis loco habet, ex peregrinatione Hierosolymitana *reportare vel de ipsis Locis exiguum pulverem, vel de ipso Crucis ligno aliquid saltem festucae simile sumere, & habere*. Hic vero in Demonstratione, *quod Christus sit Deus*, Tom. IV. *Operum antiquae Edit. cap.* 9. *Ipsum Lignum*, inquit, *in quo positum sanctum corpus Domini, & Crucifixum, quarenam habere totus orbis contendit? ut qui parvum quiddam ex illo habent, hoc auro includant, tam Viri, quam Mulieres, & cervicibus suis aptent: heinc valde honestati, & magnifici, muniti & protecti: licet condemnationis fuerit lignum*.

II. Alia plura eandem in rem habet ibidem Chrysostomus, quae Gretserus cum aliis aliorum Patrum testimoniis expendit *capite libri paullo ante citati* 77. Vnum tamen addamus, Cyrillum dico, qui *Catech.* X. *Sanctum*, inquit, *Crucis Lignum testetur, quod ad hodiernum usque diem apud nos conspicitur, ac per eos, qui fide impellente ex eo frusta decerpunt, orbem fere totum heinc iam obplevit. Sed non desunt*, inquit Vossius pag. 37. in Opusc. *de tribus Symbolis* (Diss. 1.) *Viri eruditi, qui has Catecheses Cyrilli Hierosolymitani esse negant*. Quinam quaeso? Nimirum Robertus Cocus, & An-

& Andreas Rivetus, quorum argutationes pridem difflarunt Natalis Alexander, Labbeus, Tillemontius, ac Toutteus *Dissert.* 2. *de Catechesibus S. Cyrilli cap.* 2. Hosce vide si lubet. Sed quoniam Casimirus Oudinus Riveti figmenta extumulat, proque illis vehementer decertat in *Dissert. quam num.* 14. *adpellari*, *cap.* 2. 3. *&* 4. liceat heic mihi impium sed doctum Apostatam obpugnare, eiusque momentis respondere; iis tamen missis, quae ex Riveto mutuatus est, quibus scilicet a laudatis Scriptoribus satisfactum abunde sit.

III. Atque illud cumprimis certum est, ex Hieronymo Cyrillum Hierosolymorum Episcopum Catecheses in adolescentia composuisse. Eas autem, quas habemus, illas ipsas esse, quarum Doctor Maximus meminit, sic demonstro. Catecheses illae alium Auctorem habere non possunt, quam Hierosolymitanum hominem, & eum quidem, qui medio quarto seculo floruerit. Igitur Cyrillum Auctorem habent. Vtraque antecedentis pars est confirmanda: de consecutione solliciti esse haud debemus, quum medio quarto seculo Cyrillus Hierosolymitanae Ecclesiae praefuerit. Itaque, ut a prima ordiar, quam late probat Toutteus *num.* 9. *cap.* 2. illarum Catecheseon Auctor auditores suos Hierosolymitanos adpellat *Catech.* 3. *num.* 7. *&* *Catech.* 12. *num.* 20. *Catech.* vero 17. *num.* 13 *heic*, *ait*, *in Civitate ista Hierusalem*. Deinde Catecheses illae medio quarto seculo recentiores esse non possunt. Primo enim *Catech.* 16. *num.* 9. ducentos a morte Apostolorum ad Manetem usque annos numerat Auctor; annum vero, quo prodiit Manes, Aerae Vulgaris 277. Chronologi passim statuunt. At *Catech.* 6. *num.* 20. a Manete ad sua tempora 70. annos ad summum ponit, addens suo tempore, etiamnum in vivis super-

pereſſe, qui Manetem ſuis oculis conſpexiſſent. Porro anno 277. ſi annos 70. coniungas, habebis annum 347. quo dictas eſſe has Catecheſes receptiſſima eſt apud Eruditos ſententia.

IV. Deinde dicebat Auctor non multo poſt exornata Imperatorum pietate Loca ſancta, & auctam Hieroſolymorum Vrbem; ait enim *Catech*. 12. *num*. 20. *ante paucos annos ſylveſtrem fuiſſe Bethleem locum*, ſubciſo nimirum Helenae opera Adonidis luco, ibidem per Hadrianum conſito. Vivebat inſuper ſub iis Imperatoribus, qui Anaſtaſim, ſeu Reſurrectionis Eccleſiam aedificaverant. Conſtat id ex *Catech*. 14. *num*. 14. ubi ait: *Huius temporis Imperatores ſanctam hanc, in qua ſumus, reſurrectionis Eccleſiam exſtruxerunt*. Hanc autem exornationem, atque aedificationem, quum Conſtantino iam defuncto tribuat *num*. 22. ſupereſt ut in citato loco de filiis Conſtantio, & Conſtante loquatur. Nondum igitur obierat Conſtans, qui tamen initio anni 350. fatis conceſſit. Praeterea (ut plura mittam, quae ex Tillemontio congeſſit Toutteus) quum recenſeat omnes haereſes, ſolas ſecundi, & tertii ſeculi numerat, & in Manichaea velut recentiore concludere ſolet, ut *Catech*. 6. *num*. 20. *&* 16. *num*. 9. Sabellianorum quoque meminit, & Arrianorum quaſi ſuo tempore totam pene Eccleſiam obcupantium *Catech*. 4. *num*. 8. *Catech*. 15. *num*. 10. & aliis in locis. Marcelli denique haereſim tanquam recens natam ſcribit *Catech*. *eadem* 15. *num*. 27. quae tamen anno 335. primum audita eſt.

V. Hoc argumentum omnium validiſſimum eſt, quod hac in re adferri queat. Nam quod ex Theodoreto peti ſolet *Dialogo* II. ubi fragmentum *ex Catech*. 4. deſcribitur: quod item ex Iohannis Da-

ma-

mascenii *Orat.* III. *de Imaginibus*, Iohannis Cyparissiotae *Decade* VI. *cap.* 4. aliorumque antiquorum testimoniis ducitur, Catecheses istas sub Cyrilli nomine saepe laudantium; vere ut dicam, satis probabiliter *ab Oudino cap.* 4. infringitur. Vidit nostri huius argumenti vim Oudinus. Itaque *cap.* 2. *&* 3. omnibus nervis in id contendit, ut harum Catechesium Auctorem post Constantinopolitanum Concilium anni 381. floruisse evinceret. Praecipuum vero ipsius argumentum suis verbis reddendum est. Ita ille *n.* 3. *cap.* 2. *Authov istarum Catecheseon explicat Symbolum Constatinopolitanum anno* 381. *a Constantinopol. Patribus compositum; ergo Cyrillus has Catecheses non composuit... Maior propositio explicatione & collatione, manifesta omnibus fiet: unde erubescent, opinor, qui tanta fiducia, & ostentatione opusculum istud Cyrillo adfirmarunt.* Age, Oudine, Catechetis nostri Symbolum cum Constantinopolitano conferamus; sed vero etiam cum Nicaeno.

VI. *Symbolum Nicaenum.*	*Symbolum ex variis Cyrilli Catechesibus.*	*Symbolum Constantinopolitanum.*
I.	I.	I.
Credimus in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem caeli & terrae; visibilium omnium, & invisibilium Creatorem.	Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem caeli, & terrae; visibiliumque omniū, & invisibilium.	Credimus in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem caeli & terrae; visibilium omnium, & invisibilium Conditorem.

II.

Symbolum Nicaenum.

II.

Et in unum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium Dei Vnigenitum ex Patre natum, hoc eſt ex Dei ſubſtantia natum, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo genitum, non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, & quae in caelo, & quae in terra ſunt.

III

Qui propter nos homines, & noſtram ſalutẽ deſcendit de caelis, & incarnatus eſt, & homo factus eſt

Symbolum ex variis Cyrilli Catecheſibus.

II.

Et in unum Dominum Ieſum Chriſtum, Filium Dei Vnigenitum, qui Patre genitus eſt Deus verus ante omnia ſecula, per quem omnia facta ſunt

III.

Qui in carne advenit, & inhumanatus eſt ex Virgine, & Spiritu Sancto.

Symbolum Conſtantinopolitanum.

II.

Et in unum Dominum Ieſum Chriſtum, Filum Dei Vnigenitum, ex Patre natum ante omnia ſecula, Deũ de Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero; natum non factum, homouſion Patri, hoc eſt eiusdem cum Patre ſubſtantiae, per quem omnia facta ſunt, quae in caelo, & quae in terra

III.

Qui propter nos homines, & noſtram ſalutẽ deſcendit de caelis, & incarnatus eſt ex Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt.

IV.

Symbolum Nicaenum.	*Symbolum ex variis Cyrilli Catechesibus.*	*Symbolum Constantinopolitanum*
IV.	IV.	IV.
Et passus est	Crucifixus, & sepultus	Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, ac sepultus
V.	V.	V.
Et die tertia resurrexit	Resurrexit tertia die	Et tertia die resurrexit secundum Scripturas
VI.	VI.	VI.
Adscendit ad caelos	Et adscendit in caelos, & consedit a dextris Patris	Adscendit in caelos, sedet ad dexteram Dei Patris
VII.	VII.	VII.
Er venturus est ad iudicandum vivos & mortuos	Et venturus est in gloria iudicare vivos & mortuos, cuius regni non erit finis	Inde venturus est cum gloria iudicare vivos, & mortuos, cuius regni non erit finis
VIII.	VIII.	VIII.
Et in Spiritum Sanctum	Et in unum Sanctum Spiritum, Paracletum, qui locutus est in Prophetis	Credimus in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum,

qui

Symbolum Nicaenum.	*Symbolum ex variis Cyrilli Catechesibus.*	*Symbolum Constantinopolitanum.*
		qui locutus est per Prophetas
IX. *Heic nos deserit Nicaenum Symbolum.*	IX. Et in unum Baptisma Poenitentiae, in remissionem peccatorum	IX. Et Vnam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam
	X. Et in Vnam, Sanctam, Catholicam Ecclesiam	X. Confitemur unum Baptisma in remissionem peccatorum
	XI. Et in carnis resurrectionem	XI. Expectamus resurrectionem mortuorum
	XII. Et in vitam aeternam	XII. Et vitam futuri seculi.

VII. En tibi genuinum Ecclesiae Hierosolymitanae Symbolum, quod Toutteus *pag.* 84. exhibet ex Cyrilli Catechesibus operose conlectum, si unum verbum excipias, aut alterum, quod ego iuxta Graecum textum inmutare malui. At genuinum inquam, non cuiusmodi illud sibi confinxit Oudinus, qui *cap.* 2. *num.* 5. haec verba articulo quarto addit *ex Catechesis quartae num.* XI. *Descendit ad inferos, ut & iustos illinc liberaret.* Nimirum male salsus homo ex iis verbis illud conficere se posse

posse existimabat, Catecheseon Scriptorem Rufino Aquileiensi longe recentiorem fuisse, qui in sua Symboli explanatione animadvertit, *quod in Ecclesia Romana non habetur additum* descendit ad inferos: *sed neque in Orientis Ecclesiis habetur hic sermo*. Sed graviter hallucinatus est novicius hic Cyrilli mastix. Non equidem inficior ea verba extare *Catech.* 4. sed animadvertere debuerat Oudinus, in ea Catechesi non numerari Symboli articulos. Constat hoc, nam hoc titulo Catechesis illa praenotatur: *de decem dogmatibus;* duodecim vero Symbolum continet; deinde quum ibi a Catechete tradantur dogmata *de anima*, *de corpore*, *de Virginitatis*, *Matrimonii*, *Viduitatis*, *&* *secundarum Nuptiarum natura*, *de cibis*; ea quoque in Symbolo comprehenderentur: quae porro Ecclesia huiusmodi dogmata in suo Symbolo recitari iussit? Quid ergo? Ibi omnia simul dogmata summatim proponit, atque explicat Auctor secundum morem, qui in Hierosolymitana Ecclesia obtinuerat, ut Quadragesimae initio omnia simul dogmata baptizandis proponerentur; qua de re vide apud Hieronymum *Ep.* 38. *al.* 61. *ad Pammachium*, *quae in Epistola ad Theophilum Alexandrinum* scripsit Iohannes Cyrilli successor. Sumendi igitur sunt Symboli articuli vel ex titulis, quos Catechesibus Auctor ipse praefixit; (sic autem *Catech.* 13. *Hierosolymis extemporalis dicta in illud Crucifixum, & Sepultum:*) vel ex iis locis, ubi discendorum ordinem Illuminandis ex professo tradit: sic *Catech.* 18. *num.* 22. *quum vero enuntiata fides serie sua contineat illud: & in unum Baptisma poenitentiae, in remissionem peccatorum, & in Vnam, Sanctam, Catholicam Ecclesiam, & in Carnis Resurrectionem, & in vitam aeternam*.

VIII.

VIII. Sed iam Symbolum cum Symbolo conlatum expendamus. Satis quidem cum Symbolo Constantinopolitano adfinitatis habet Cyrillianum Symbolum, ita tamen ut in multis ab eo diversum sit: Nec enim iidem sunt extremi utriusque Symboli articuli, sive ordinem sententiarum, sive verba, sive ipsas sententias spectes; nec primum in Concilio Constantinopolitano adiecti sunt, quos in omnibus paene illius aetatis, & in anterioribus etiam Symbolis legimus. Priores porro articulos cur potius ex Constantinopolitano, quam ex Nicaeno Symbolo mutatum Catechetem dicemus? Imo fortassis ne ex Nicaeno quidem expressi sunt; sed Nicaeni ex Hierosolymitano expressi: quod vel ex eo manifestum mihi fit, quod si ex Nicaeno desumpti forent, iisdem omnino verbis videntur fuisse explicandi. Atque haec quidem ratio, quae ad Nicaenum Symbolum quod adtinet, coniectatio est; quod spectat ad Constantinopolitanum, mihi demonstrationis vim habere videtur. Si enim (quod vult Oudinus) Constantinopolitanum Symbolum explicandum subscepisset Catechetes, ipsa prout iacent verba illius Symboli adtulisset, eaque Catechesibus inscripsisset. Si vero coniecturis locus, id adfinitatis, quod Constantinopolitanum Symbolum cum Hierosolymitano habet, in ipsum Cyrillum refundo, qui Constantinopolitanae Synodo interfuit. Quum enim Symbolum condendum fuit, facile subspicor, a Cyrillo suae Ecclesiae Symbolum Patribus propositum fuisse; hos vero, quae eorum in Hierosolymitanam Theadelphicam Sedem, & Matrem Ecclesiarum observantia fuerit, illius potissimum rationem habuisse post illud a Nicaenis Patribus compositum; nonnulla tamen inmutasse, atque addidisse sic poscentibus fidei Ca-

tho-

tholicae rebus, atque profligandarum haerefum condicione, atque natura. Atque ex his conftat, quifnam erubefcere debeat, egone, qui Catechefes Cyrillo adiudico; an Oudinus, qui tam imbecillo argumento eas illi abiudicat.

IX. Neque minus infirma funt cetera, quae idem Oudinus fuam in rem profert. Adfert ille *num.* 7. verba *Catech.* IV. *Credo, & in Spiritum Sanctum, & rectam habeas de illo fententiam. Multi enim funt alieni a Spiritu Sancto, qui nefanda de illo docent*. Deinde fubiicit. *Nullus opinor fanae mentis negabit, quin haec Macedonium eiufque haerefim defignet*. Ego vero id nego, neque tamen vereor, ne haud fanae mentis nota a fanis hominibus mihi inuratur. Concedit illud quidem Thomas Milefius in notis ad eum locum; fed turpi peccat anachronifmo: quum enim non ante annum 359. Macedonius haerefim fuam divulgaverit, ac fparferit; quomodo Cyrillus ann. 347. eius haerefim notare potuit? Sabellianos heic argui a Catechete putat Toutteus; at ego *non audeo fubfpicari effe Sabellianos*, ut cum Auguftino loquar *Tract.* 40. in Iohann. *n.* 7. *haerefis quippe ifta nimis antiqua eft, & paullatim evifcerata;* quae quidem verba an. 412. quo eum Tractatum ab Auguftino fcriptum adnotant Benedictini Editores, non fatis vere dicta fuiffent, fi 65. ante annos ea haerefis adhuc viguiffet, habente fcilicet Catechefes Cyrillo. Arrianos itaque heic Cyrillum refpexiffe contendo. Eos fane teftatur Epiphanius *in Haerefi Arrianorum num.* 14. Spiritum Sanctum κτίσμα κτίσματος dixiffe: *At ipfi creaturae hunc effe creaturam adferunt. Sic enim obiiciunt: Quum omnia per ipfum facta fint, & fine ipfo factum eft nihil; ergo etiam Spiritus inter eius opera numerandus eft*. Adcedit egregium

Athanasii testimonium in *Epist.* 1. *ad Serapionem Thmuitanum Episcopum num.* 2. *Itaque Arrianorum quidem nequaquam aliena est huiusmodi sententia. Postquam enim semel Dei Verbum negare ausi sunt, merito eadem de eius Spiritu impie mentiuntur.* Imo gravius in Spiritum Sanctum Arrianos, quam Macedonianos, peccasse, scite animadvertit Cl. Petavius *Lib.* I. *de Trinit. cap.* 14.

X. Pergit Oudinus, & *cap.* 3. *num.* 8. & illud obiicit ex *Catech.* 17. *Ad hodiernam usque diem cernimus mundanos Principes regi, & instrui ab Ecclesiasticis;* ut etiam illud Catech. 18. *Nunc vero temporibus pacis, gratia Christi debitum habet honorem a Regibus, & illustribus, & omni genere hominum* Constat autem, inquit ille, nullos tunc temporis, seu usque ad ann. 347. Imperatores ab Ecclesiasticis directos, & institutos; si Constantinum, & Constantium excipias, qui magis Arrianis, quam Catholicis favisse leguntur. Sed haec manifesta est Constantini nomini iniuria, quae nullo negocio refelli possit. De Constantio usque ad annum 347. imo & ad initium usque Cyrilliani Pontificatus, quid sentiendum sit, collige ex iis, quae *Cap.* II. disseruimus. An non autem, ut loquutio illa non in historia quapiam, sed in Catechesi ab oratoriis phrasibus haud penitus abhorrente vere usurparetur, satis fuerit geminos illos Imperatores rectos revera fuisse, & instructos ab Ecclesiasticis? Magis insulsum est, quod ex *Catech.* XVI. petit argumentum idem Oudinns *num.* 9. *Perspice cuiuslibet rationis Episcopos, Sacerdotes, Diaconos, Monachos, Virgines, & reliquos Laicos*, ait Catechetes. Quid Oudinus? *Iam quaero doctiores antiquitatis Viros, an dum adolescens adhuc Cyrillus Hierosolymitanus erat, & anno* 347. *Catecheses pronun-*

nunciabat in Ecclesia essent Episcopi, Sacerdotes, Diaconi, Monachi ex omni natione: quasi vero magna eruditione opus sit, ut medio quarto seculo apud omnes nationes, quibus Evangelica lux adfulserat, fuisse Episcopos, Sacerdotes, Diaconos, Monachos intelligamus. Quidni & de Laicis dubitemus?

XI. Quamquam intelligo, quid Oudino displiceat. Monachorum mentio, a quibus sacrilego ausu descivit, miserum hominem urebat. At Monachi nonnisi sub finem IV. seculi in varias Europae, & Ecclesiae regiones propagati sunt. Ita quidem Oudinus; sed hominem nequissimum refellunt, quae de Origine Religionum docte disseruit Emin. Bellarminus *Lib.* II. *de Monachis cap.* 5. Praeterea discat Oudinus, triplex olim Monachorum genus fuisse. Alii in Monasteriis degebant, qui *Coenobitae*: alii desertis in locis, qui *Eremitae*; alii suis in aedibus, qui apud Graecos aliquando *Philosophi*, apud Latinos vulgo *Monachi*, qui nempe postquam aliquandiu in secessu procul ab hominum turba animum poenitentiae pietatisque operibus excoluissent, prodirent vestitu ad pietatem composito, mundique contemptum praeseferente; cuiusmodi Paullinus, & Pammachius, Melania & Demetrias, Therasia Paullini uxor, aliaeque multae Romanae feminae. Porro ut Cyrilli temporibus hae Monachorum Classes non apud omnes Nationes singulae floruerint; una tamen, aut altera si viguit (viguisse autem vel ex eo evincitur, quod tempus adsignari nequeat, quo coeperunt) quid quaeso in ea Catechetis nostri Oratione, quod a vero absit? Adde, quod nuper monebam, Catechetem hyperbolικῶς Oratorum more quandoque loqui.

XII. Estne aliud, quo sua figmenta tueatur Oudinus? Ita sane. Scriptor istarum Catecheseῶν Se-

mipelagianus eſt: unde Cyrillus aperte ab his Catecheſibus excluditur. Ita enim in Protocatecheſi: *Liberalis namque Deus, & pronus ad beneficentiam, exſpectat tamen cuiuslibet propriam voluntatem: propterea ſubiecit Apoſtolus, ſecundum propoſitum vocatis ſanctis. Propoſitum quum adeſt proprium, vocatum te fecit.* Quid quaeſo magis Semipelagianum? Imo nihil hac in re Semipalagianiſmi reperio. Etenim non ibi de gratia *actuali*, ſed de Baptiſmali Gratia ſermo eſt, quae non niſi ſincere converſis, ac credentibus, poenitentibus, & longo bonorum operum exercitio digne praeparatis a Deo conceditur. Quare vocatio ad fidem, & vocatio ad Baptiſmum maxime diſtinguenda eſt. Illa eſt ſecundum propoſitum Voluntatis divinae; haec ſecundum propoſitum humanae voluntatis: de illa Apoſtolus ad *Rom.* 9. 16. *Non eſt volentis, neque currentis*; quod ad hanc ſpectat, *liberalis Deus exſpectat cuiuslibet propriam voluntatem*. Atque, ut quam vera, ſolidaque haec interpretatio ſit, intelligatur, ad id, quod ſibi in ea Catecheſi propoſuerat Cyrillus ad oſtendendum, ſufficit animum tantiſper advertere. Etiam quae alibi docet, adtendenda ſunt. Plura congerit Toutteus *Diſs.* 3. *cap.* 7. *a num.* 47. Vnum adfero ex *Catech* 23. *num.* 5. ubi explicans illa Liturgiae verba: *Gratias agamus Domino Deo noſtro*; ait, nos gratias agere debere, *quod quum indigni eſſemus, ad tantam nos vocavit gratiam; quum inimici eſſemus, nos reconciliavit, & adoptionis ſpiritu dignos effecit*. Quid? quod etſi daremus Catechetem noſtrum Semipelagiana dogmata tradidiſſe, male heinc tamen argueret Oudinus, eum Cyrillo recentiorem eſſe; quum non deſint Viri eruditiſſimi, qui Chryſoſtomum, alioſque Cyrillo vel aequales, vel etiam antiquiores Patres

Semi-

Semipalagianae doctrinae, dum scilicet res nondum examinata fuerat, multo minus ab Ecclesia improbata, in suis libris minus castigata loquutione praelusisse contendant.

XIII. Hactenus Oudinus Catechetem nostrum Concilio Constantinopolitano, & Semipelagiana haeresi recentiotem fuisse adserverat; sed *num.* 13. Ephesina quoque Synodo anni 430. posteriorem egregia hac ratiocinatione conficit. *Catech.* 12. ait Catechetes: *Itaque si Virgo in veneratione est propter novem mensium tempus: multo magis nos*, (Sacerdotes) *propter multorum annorum tempus*. Quis autem non videat, ratiocinium istud subponere cultum, atque venerationem Mariae Virginis in Ecclesia stabilitam, quam post Concilium dumtaxat Ephesinum paullatim introductam eruditi Viri censent? Acutam scilicet animadversionem! At cur Oudinus, qui Graecus totus est, hac in re Riveto tantum detulit, ut Graecum textum minime consuluerit. Novisset enim vero ipsum Grodecii Interpretatione deceptum fuisse. Ipse integrum textum reddo ex Versione, qua non Toutteus modo, sed Thomas quoque Millesius usus est. *Adoretur natus ex Virgine Dominus; noverintque Virgines proprii instituti decus, & coronam. Agnoscat & Monachorum ordo puritatis gloriam; non enim privamur* (Viri) *dignitate integritatis. In ventre Virginis novem mensium tempus exactum est Salvatori; at vir fuit Dominus tres annos, & triginta; adeo ut si gloriatur Virgo propter novimestre tempus, multo nos magis* (gloriari possumus) *propter annorum multitudinem*. Vbi vides non heic de Beatissima Deiparente Virgine, sed de omnibus Virginibus sermonem esse; neque de veneratione Virginibus, vel Viris castis praestanda; sed de status di-

dignitate, atque excellentia. Quid? vero haec ad rem? Mitto non introductum ab Ephesino Concilio, sed propagatum tantum fuisse Deiparae cultum: quod demonstrare huius loci non est.

XIV. Sed post longam adeo digressionem eo tandem redeamus, unde Cyrilli vindicandi amor disputationem abduxit. Duo sunt, quae etsi Acatholici dent Cyrillum Catechesium auctorem esse, infirmare posse videantur eius, quem recitavimus, loci auctoritatem. Nam ab interpolatore aliquo verba illa addita esse suadet phrasis illa μέχρι σήμερον *usque ad hodiernum diem*, qua longum temporis spatium designatur; quum tamen paucis ante has Catecheses annis, nec amplius quam viginti, detecta dicatur Crux. Adcedit argumentum alterum ex illis verbis *Sanctum Crucis lignum testatur, quod . . . per eos, qui fide impellente ex eo frusta decerpunt, Orbem fere totum heinc iam obplevit*. Id enim plane fidem superat. Frustra tamen haec obiiciuntur. Nam quod ad primum adtinet, & ea Cyrilli verba ad illud annorum spatium, quod inter Christi mortem intercurrit ac tempus, quo Catechesis illa recitabatur, nihil vetat referre, & quamvis tempus inventae Crucis spectent, Canonicorum librorum, *ut Iudith* XVI. 30. I. *Reg.* XXIX. 3. III. *Reg.* II. 2. I. *Mach.* VI. 9. *&* XI. 40. *Luc.* XXIII. 8. *Act.* XIII. 30. XVI. 18. XXIV. 10. auctoritas, ipsaque Cyrilli loquendi consuetudo (vide *Catech.* XVII. *num.* 10. *&* XVIII. *num.* 27.) satis ostendit, phrasi illa, ac similibus non longum tempus apud Orientales perinde denotari, atque apud Latinos Scriptores videtur significare. Quod vero ad alterum spectat (praeterquam quod Cyrillo suffragator adcedit Paullinus *in epistola* XXXI. *al.* XI. *num.* 6.) miraculo id adcidisse eius quam simillimo, quo Chri-

stus

ſtus panes quinque multiplicaſſe dicitur ab Evangeliſtis, indicat Cyrillus ipſe, qui ante adlata verba dixerat: *Teſtantur quinque panes in quinque virorum millia multiplicati*. Haec enim duo veluti non diſſimilia miracula coniunxiſſe videtur. Poſt Conſtantinum igitur Hieroſolymam Crucis adorandae cauſa peregrinationes ſubſceptas fuiſſe, & Chriſtianos Crucis particulas ſummo deſiderio expetiiſſe aptis veterum teſtimoniis evicimus. Quae duo de Crucis particulis ex collo geſtatis, deque iiſdem dono miſſis demonſtraturum me recepi *num.* I. nunc ſunt comprobanda. Itaque praeter alia, quae Gretſerus late diſſerit *cap.* 78. Gregorius Nyſſenus inſignis eſt teſtis in vita Sororis Macrinae a Petro Boſchio inluſtratae T. 4. Iulii ad diem 19. illam Crucis particulam e collo ſuſpenſam geſtaſſe. Ibi enim *cap.* 3. *num.* 37. *Veſtiana*, inquit, *propriis manibus ornans ſanctum illud caput; quum eius cervici manum ſubmiſiſſet: ecce, aiebat ad me reſpiciens, quale a collo Sanctae, monilis ornamentum dependet? & haec dicens: ſolutis pone vinculis, praetendit manu ferreum Crucis ſignum, & annulum quemdam ex eadem materia, quae quidem utraque cordi ſemper adhaerebant. Et ego, communis, inquam, ſit haec poſſeſſio: ac tu quidem habeas Crucis inſigne; mihi autem hereditas annuli ſatis erit, ſiquidem in huius etiam pala Crux erat impreſſa. At eum mulier intuens, rurſus ad me, in deligendo*, inquit, *non aberraſti: etenim excavatus eſt annulus ſub ipſa pala; ibique de Ligno vitae particulam conditam habet: quod ſuper adiacens pala ſimili nota denotat*. Porro Macrina diem extremum obiit anno Chriſti 379. 9. Martii, ut Hermantio, ac Tillemontio viſum eſt, aut (quod poſt Iohannem Bollandum adprobat adpellatus Boſchius) 19. Iulii *anni* 380.

 XV.

XV. De Crucis particulis dono missis quid est, quod testes quaeramus? Postquam Paullinum, Leonem Magnum, Magnum item Gregorium habemus id adseverantes. Illis igitur missis, quos fuse profert saepius laudatus, laudandusque Gretserus cap. 79. his tribus insisto. Paullinus *ep.* 11. ad Severum haec habet: *Partem particulae de Ligno divinae Crucis, quod nobis donum Melania ab Hierusalem, munere sancti inde Episcopi Iohannis adtulit, hoc specialiter sorori nostrae venerabili Bassulae misit conserva communis Therasia &c.* Leo vero in epist. ad Iuvenalem Hierosolymitanum Episcopum anno 454. data, quae in Quesnelliana editione est 110. al. 72. *Particulam*, ait, *Dominicae Crucis, cum Eulogiis dilectionis vestrae veneranter adcepi.* Demum Gregorius L. 7. Registri ep. 122. edit. Maurin. al. 127. ad Recharedum Wissigothorum Regem, *Crucem quoque*, inquit, *dedi latori praesentium vobis obferendam, in qua lignum Dominicae Crucis inest, & capilli Beati Iohannis Baptistae. Ex qua semper solatium nostri Salvatoris per intercessionem Praecursoris eius habeatis.* Alia in hanc rem testimonia congerit Trombellius *Sect.* II. *cap.* VII. quem vide. Ex his omnibus conligo Crucem Constantino Imperante repertam esse; quid enim caussae fuisset, cur solum post eius tempora haec de Crucis particulis expetitis, gestatis, dono missis, de peregrinationibus Hierosolymam versus institutis, legeremus? An non eadem vivificae Crucis efficacitas, eadem dignitas ante, & post Constantinum? Nae ille obfirmato animo sit, qui istis rationibus a concepto errore dimoveri sese non experiatur.

XVI. Postremum, quod pro Crucis inventione argumentum adfero, subpeditant festi dies, quos inventae atque exaltatae Cruci dicavit Ecclesia.

Vter

Vter ex his antiquior ſit, quaeri poſſet. Mazochio Viro Clariſſimo adſentior, qui in egregio Commentario, quo vetuſtum Neapolitanae Eccleſiae Kalendarium inluſtrat, ad d. III. Maii p. 284. Exaltationis feſtum diem *antiquiorem* adpellat. At ad rem noſtram nihil id intereſt: *Exaltatio* enim Crucis minime celebraretur, niſi inventa illa fuiſſet. Ceterum multo vetuſtior eſt inventae Crucis feſtus dies, quam Iohannes Fronto exiſtimaverit, qui quum in ſuo Kalendario nullam eius mentionem non inveniſſet, p. 170. Veron. edit. a 1733. adſeruit, nonniſi poſt annum a Chriſto 720. coepiſſe Crucis inventionem celebrari. Sed ne id quidem Viro immortali Papebrochio concedendum, ante illud tempus Romae tantum, non item alibi inventae Crucis memoriam ſolemni cultu celebratam fuiſse. Haud equidem Hieronymiani Martyrologii, ut vulgo dicitur, apographa illa Papebrochio opponam, in quibus V. Nonas Maii legitur: *In Hieroſolyma Inventio S. Crucis Domini noſtri Ieſu Chriſti ab Helena poſt paſſionem Domini ann.* CCXXXIII. (anachroniſmum adverte) *regnante Conſtantino Imperatore*. Nam etſi ſcio Trombellium (*p*. 302.) & Mazochium (citato nuper loco) illis uti ad confirmandam feſti huius diei vetuſtatem; a Sollerio tamen (Martyr. Vſuard. *pag*. 250.) diſſentire non poſſum, ſcribente, vel ex ſola *annunciationis ratione in Hieronymianis plane inſolita*, conſtare poſse, *citata verba* aliunde fortaſse, *ex Floro adcepta fuiſſe, & ſervato anachroniſmo ab aliquo recentiori, textui Hieronymiano praefixa*. Vide infra Romanum parvum Martyrologium, cuius aetatem circa ann. DCCXL. conſtituendam eſse ſatis luculentis rationibus eſt ab eodem Sollerio demonſtratum in Praefatione ad Vſuardi Martyrologium, primum

eſse

eſſe videtur inter Martyrologia, quibus inventio Crucis fuerit adſcripta; paſſim deinde in poſteriorum temporum Martyrologiis reperitur, in Bedae ſinceriore Martyrologio, in Adoniano, & Viuardino, in Kalendario Allatiano, in Neapolitano marmoreo noni ſeculi, aliiſque id genus libris.

XVII. Quae autem antiquitatis eius Feſti diei ex Martyrologiis duci non poſſunt momenta, Liturgici libri abunde ſubpeditant. Nam & in vetuſtiſſimo illo *Sacramentorum* Codice, quem edidit praeſtantiſſimus Cardinalis Thomaſius, quique magna ſaltem ex parte Gelaſianus eſt, & in Gregoriano Menardi Sacramentario, & in Miſſali *Gothico*, quod idem Thomaſius divulgavit, & in Sacramentario *Gallicano*, quod Mabillonius Vir longe Clariſſimus emiſit in lucem, Miſsam legere eſt in Inventione Sanctae Crucis. Eadem recolitur in aliis antiquis Romanae Eccleſiae Liturgicis libris, quos a Thomaſio editos magna diligentia cum aliis vetuſtiſſimis Codicibus contendit Doctiſsimus P. Vezzoſius. Vide Antiphonarium S. Gregorii *pag.* 178. & 276. *Tom.* V. operum Card. Thomaſii Rom. recentiſsimae editionis. Adde Lectionarium Miſſae ab eodem Thomaſio collectum ex pluribus veterrimis Manuſcriptis, & a Vezzoſio cum Bertinorenſis Eccleſiae Codice ſub noni ſeculi finem, aut inſequentis initia conſcripto conlatum (*ibid. pag.* 391.) & Capitulare Evangeliorum *p.* 461. Quod ſi ex me quaeras, quandonam Romae celebrari coeperit Inventio Crucis, non ante Leonis tempora, ſed vel Gelaſio Pontifice, vel paullo poſt epocham huius feſti diei conſtituerim. Non equidem ante Leonis tempora, quum in Leoniano Sacramentario, quod vide in Muratorii Liturgia Romana, nulla eius fit mentio. Haec autem fit in Galeſiano Sacramenta-

rio,

rio, aut eo certe quod ad Gelasium maxime adcedat: igitur circa Gelasii tempora statui potest initium huiusce festi diei. Non ita facile probari possit, Graecis solemnem fuisse Inventae Crucis memoriam. Putat Cl. Trombellius, Graecos die XIV. Septembris eam celebrasse. *Etenim*, inquit pag. 303. *ea die solemniter populo ostendi consueverat, ad recolendam memoriam illius celebris diei, qua primum ex humo super eam aggesta, eruta est, elataque & populo ostensa; quod quidem in eorum Menologio indicatur: sed apertissime traditur in ea Andreae Cretensis* (Pseudo-Andreae Cretensis) *oratione, quam* in Exaltatione Sanctae Crucis *inscripsit. Id quoque confirmat Nicephorus his verbis in latinum a Lango conversis* (Lib. VIII. Hist. c. 29.): Cuius (*Crucis*) partem maximam divina Helena argenteae cistae inclusam Episcopo ad memoriam posterarum generationum, reliquit: *ubi etiam sacram Exaltationem quotannis peragendam sanxit*. Haec Trombellius: cuius coniecturis illud non parum favet, Inventionem Sanctae Crucis *Exaltationem* dici in tribus Mss. Codicibus, quos in Capitulari Evangeliorum citat Thomasius p. 461. de aliis Orientis Ecclesiis consule sis, Gretserum *Tom.* I. *de Cruce Lib.* I. *cap.* 65.

XVIII. Hinc porro magnum sententiae nostrae, quae inventam fuisse Crucem tuetur, pondus adcedere quis non intelligat? Quod huius historiae veritatis luculentius testimonium desideras? quod universae late Ecclesiae vocem si dixero, nihil exaggeratius pronunciavero. Video quid heic statim obiici possit, in Kalendario nempe Romano perantiquo, quod Fronto divulgavit, Inventionem non recoli. Ita sane: at ibi Exaltatio Crucis celebratur, quod ad Inventionem propugnandam ap-

tissi-

tissimo est argumento. Praeterea aliae caussae esse potuere cur ibi omitteretur Inventio. Duas adsignat Trombellius pag. 302. desidiam nempe Amanuensis, qui priore festa die *SS. Alexandri*, *Eventii*, *&* *Theoduli* scripto (hic enim eodem die agebatur, immo vero primo loco in vetustioribus libris adnunciatur) labori ut parceret, Inventionem praetermiserit; deinde Ecclesiam, cui Amanuensis ille addictus fuit; in ea enim quod fortasse Martyribus Alexandro & sociis sacra erat, Inventio minime celebrabatur. Quod ad primam adtinet, eam libens admitterem, si Frontonianum illud *Kalendarium* revera Kalendarium esset; in Martyrologiis enim, & Kalendariis saepe experimur, ab Amanuensibus Sanctos, qui primo loco in exemplis nominabantur, adnotatos, praetermissis, qui eos sequebantur. At nihil minus est Kalendarium illud, quam Kalendarium, ut optime a Vezzosio animadversum est in Praefatione ad quinctum Thomasianorum operum Volumen, & ipsa Codicis inscriptio ostendit: *Capitulare* est *Evangeliorum*. Facile autem intelligo, cur nomina Sanctorum omiserint Martyrologiorum Amanuenses; at non ita facile id mihi persuadeo de *Capitularium* eiusmodi exscriptoribus; non enim Sanctorum tantum nomina praetermitti ab his oportuit, sed & Evangeliorum initia; quod non socordis, sed socordissimi hominis fuisset. Altera a Trombellio adlata causa mihi omnino probatur; non tamen aevo illo, quo Frontonis Kalendarium perscriptum fuit, facile admiserim, quod ibidem indicare videtur Trombellius, alias praeter illam, ad quam Capitulare hocce spectabat, fuisse in Vrbe Ecclesias, in quibus Inventio Crucis haudquaquam celebraretur. Nam neque id cum Romano parvo Martyrologio, quod paucis post editum illud Capi-

pi-

pitulare annis ſcriptum fuit, totque aliis antiquioribus Romanae Eccleſiae Liturgicis libris, in quibus diſerta Inventionis ipſius mentio fit, ſatis congruit; neque ad difficultatem amoliendam neceſsarium eſt: quid enim mirum in Eccleſia Sanctis illis Martyribus dicata unam dicto die ipſorum memoriam fuiſse celebratam? etſi in aliis Vrbis Baſilicis Crucis Inventio recoleretur?

C A P V T IV.

Praecipuum Haereticorum Argumentum adverſus Inventionem Crucis proponitur, atque diluitur.

I. AVdiamus nunc Heterodoxos. *Euſebius*, inquiunt Magdeburgenſes Cent. IV. cap. 15. *In Vita Conſtantini Imperatoris, de Cruce per matrem inventa, ne verbulum quidem facit. Quis autem credat, Euſebium omiſſurum fuiſſe rem tam appoſitam ad laudem Conſtantini?* Altiſſimum quoque Conſtantini ipſius de ea Inventione ſilentium miratur, urgetque Dallaeus, & Baſnagius: imo *nullus fide dignus Auctor produci poteſt.* (addit Hoſpinianus apud Gretſerum Lib. I. de Feſtis cap. 32.) *qui tempore illo, quo Crux inventa dicitur, de ea aliquid ſcripſerit, vel inventionis eius ſaltem aliquam mentionem fecerit.* Sed quis non videat, ut ab hoc ultimo ordiar, Hoſpiniani argumentum aeque ridiculum eſſe, ac ſi quis dicat: *Nullus extat auctor, qui de Roma condita eo, quo condita eſt, tempore, deque rebus a Romulo geſtis, quo geſtae ſunt anno, in literas retulerit. Commentitium eſt ergo, quidquid de condita Roma, rebuſque Romuli*

geſtis

gestis posteriores Historici memoriae prodiderunt. Quasi vero contingere non potuerit, ut monumenta tum scripta interierint, atque interciderint, aut veritas a nullo scriptis comprehendi, & ad posteros transmitti nequeat, nisi ab illo, qui rei gestae interfuerit. Periclitabuntur sane plerique Historicorum tum sacrorum, cum etiam profanorum, si ista Calviniani huius deliratio locum inveniat. Nam Sanctae Crucis inventae tot, tamque locupletes, tam sancti, & antiqui testes, nobis subpetunt, ut alia narratio, quaecumque testimonio humano nititur, minore, ac tolerabiliore insania in dubium revocari posse videatur Stet igitur, ad alicuius historiae veritatem evincendam necessaria non esse aequalium Scriptorum testimonia; sed ea sufficere, quae ab iis desumuntur, qui tempore proximi fuere, cuiusmodi sunt paene omnes, quos pro Inventae Crucis historia adduximus.

II. Ad Eusebium devolvatur disputatio. Hunc Crucis Inventionem non plane intactam reliquisse contendit Gretserus, & Alfordus num. 28. Nam in Chronico haec verba habet. *Anno Domini* 325. *Imperii Constantini* 16. *Helena Constantini mater divinis monita visionibus beatissimum Crucis signum, in quo mundi salus pependit, apud Hierosolymam reperit*. Quoniam vero Scaliger censuit, ad Eusebii Chronicon, non ipsius, aut S. Hieronymi manu, sed aliena esse adiectam inventae Crucis mentionem, eum vehementer increpat atque exagitat Iacobus Gretserus, quasi ex Calviniano in Crucem, resque sacras odio, ita opinatus sit. Sed audiendus hac in re ingenuus Papebrochius cap. 3. num. 26. *Sunt alia, in quibus Scaligeri doctrina & fides merito requiritur a piis, & eruditis lectoribus: sed in hoc puncto, ubi ex sola fide antiquo-*

rum

rum Codicum definivit, quid germanum, spuriumve sit, non possum ei non adsentiri, locum ipsum esse purum, ac merum glossema inertis librarii. Probant id non solum Graeci Codices, ex quibus Eusebii genuinum textum idem Scaliger edidit; sed etiam plerique & vetustiores Latini, in quibus Hieronymi versio legitur absque ista lacinia. Talium aliqui apud nos sunt, & quidem unus in Francia finitus anno 14. Heraclii, & XI. Chlotacharii Regis est, id est Christi 624. quo fideliorem, antiquioremque hactenus reperiri non puto. Haec ille, cui nuper adcessit eruditissimus Pinius. Adfirmat quidem Arnaldus Pontacus ea verba in Avenionensi, aliisque Mss. Codd. exstare, & in primas editiones nonnisi ex manu exaratis exemplaribus venisse. Sed (praeterquamquod, ut paullo antea monebamus ex Papebrochio, alii Codices numero, & antiquitate potiores ea verba non habent: qua de re tamen, si copia mihi fuisset, libenter adiisem Veronensem huius Chronici editionem inter opera Hieronymi) illud etiam animadvertendum, ibi occasione inducti in Alexandrinam Sedem Alexandri Episcopi, nominari Arrium ab eo de Ecclesia deiectum, & Arrianorum in Nicaena Synodo secutam damnationem. Porro quid Crucis inventae commemoratio ad Alexandrum, & Arrium, quorum gratia fuerat Nicaena Synodus convocata? Ex quo fit, Codices, in quibus illa desiderantur, ceteris etiam ex eo praeferendos, quod Eusebium, atque Interpretem Hieronymum magis deceant.

III. Idem Gretserus alio argumento conlegisse sibi videtur, Eusebium ne in ipso quidem opere de Vita Constantini Inventionem Crucis omnino tacuisse. In Epistola enim ad Macarium Hierosolymorum Antistitem, quam Eusebius recitat L. III.

de

de Vita Const. c. 30. ait Imperator : *Tanta est Servatoris nostri gratia, ut nulla sermonis copia ad praesentis miraculi narrationem sufficere videatur. Nam sacratissimae illius Passionis signum sub terra iampridem occultatum, tot annorum spatio delituisse, quod communi omnium hoste sublato famulis eius in libertatem vindicatis adfulgeret, omnem revera admirationem superat. Hoc ipso ergo*, inquit Gretserus, *quod inventi Sepulchri meminit Eusebius, satis etiam inventam Crucem insinuat, cum eodem tempore, & non procul a sepulchro Crux fuerit inventa*. Verum (Gretseri pace dictum sit) hocce argumentum mancum omnino est, atque imbecillum. Sic quippe ad enthymema revocari potest: *Crux eodem tempore, & non procul a Sepulchro fuit inventa; igitur qui Sepulchri meminit, meminit etiam Crucis*. Sed cur Haereticis argumentari non liceat? *Qui Sepulchri meminit, Crucis non meminit; igitur inventa Crux non est?* Poterat sane Sepulchrum inveniri Cruce non inventa. Cur igitur Eusebius Sepulchri inventi diserte meminit, Crucem vero dissimulavit, si cum Sepulchro reperta Crux fuit? Duplex ergo est in ea Gretseri argumentatione peccatum. Primum est, Inventam Crucem subponere, quod Haereticus negat: alterum, ex Sepulchri mentione Crucis mentionem inferre, quasi aut illud sine hac inveniri non potuerit, aut aliquis illius inventionem memorare non posit, quin etiam huius mentionem faciat.

IV. Itaque Papebrochius, Tillemontius Tom. VII. Monum. Eccles. Not. 2. in Helenae Vitam, Iohannes Pinius Tom. III. Augusti Comm. praevii ad Vitam S. Helenae §. 8. num. 75. ac Trombellius in *Append. de Cruce* Sect. II. cap. 2. num. v. contendunt, Eusebium, seu potius Constantinum apud Euse-

ebium Crucem Dominicam refossam, & miraculis inlustratam sua in Epistola respexisse, non vero Sepulchrum. Nam verba illa *Sacratissimae Passionis signum* Cruci me ius aptari possunt, quam Sepulchro, quod *Resurrectionis Dominicae signum* aptius adpellandum fuerat; quemadmodum ab ipso Eusebio *Cap.* 28. reapse vocatur, *Augustum, sanctissimumque Dominicae Resurrectionis monumentum*. Adde, quod in eadem Epistola Constantinus dicit, locum illum *Dominicae Passionis fidem in lucem protulisse*: quae quonam spectent, si ad Dominicae Crucis Inventionem non spectant? Nihilo tamen minus hisce licet efficacibus coniecturis adquiescere ipse non possum. Etenim primo Eusebius *Cap.* 28. haec omnia, quae a Constantino Auctores illi de Cruce dicta esse arbitrantur, de solo Sepulchro apertissime pronunciat. *Tunc vero*, inquit, *ipsum augustum sanctissimumque Dominiciae Resurrectionis monumentum praeter omnium refulsit expectationem, & spelunca illa .... rursus in lucem prodit, & miraculorum, quae ibi gesta fuerant, historiam iis, qui ad spectandum confluxerant, manifestissime videndam exhibuit; rebus ipsis, quae omni voce clarius sonant, Servatoris nostri resurrectionem testata*. Ex quibus rectissime fluit, licet Constantinus de Cruce loqui revera voluerit, de solo tamen Sepulchro fuisse ab Eusebio intellectum.

V. Ipsa deinde Constantini verba non adeo clara sunt, ut ad Sepulchrum significandum absque vi trahi nequeant. Etenim in iis literis Imperator adserit, *nihil sibi antiquius esse, quam ut sacer ille locus, quem Dei iussu turpissima adiectione simulacri, velut gravi quodam pondere exoneravit, fabricarum pulchritudine exornetur*. Haec porro verba ad solum Sepulchrum spectare videntur, quum

Eusebius *Cap.* 26 Socrates, ceterique Historici omnes, non Crucis celandae, sed Dominici Sepulchri occultandi caussâ Templum Veneri sacrum Ethnicos ibi exstruxisse scribant. Neque verba illa *sanctissimae Passionis signum*, *Dominicae Passionis fidem* ab hac sententia me dimovent. Etenim Sepulchrum non minus Mortis Dominicae, quam Resurrectionis est signum, ac fides. Namque si Resurrectionis est monumentum, quod Dominus olim sepultus non amplius ibi condatur; cur Passionis signum dici apte non possit, quod Dominus passus, ac mortuus in eo triduo requieverit? Sunt tamen, qui putent, alio in loco in Commentario nempe in Ps. LXXXVII. *n.* 11. Crucem inventam indicasse Eusebium, dum scriberet: *Quod si quis animum adhibeat iis, quae nostro tempore ad Sepulchrum, & Martyrium Salvatoris nostri patrata sunt, mirabilibus, is sane deprehendet quo pacto ea, quae praenunciata fuerant, opere completa sint.* Ego malim fateri, Eusebium, & Constantinum Crucis Inventae non meminisse. Cur autem non meminerit Eusebius (de Constantino *num.* VII.) divinare nolim. Papebrochius *Cap.* I. *num.* 5. hac de re videri potest: Trombellium quoque adi *num.* 11. *cit. Cap.* II. Mirabor itaque cum Baronio ad ann. 325. *num.* 42. Eusebii silentium; eius caussas scrutari uti incertissimum, ita & prorsus inutile existimo.

VI. Inutile, inquam. Quid enim quaeso Eusebii silentium ad historiam Crucis Inventae labefactandam ponderis habeat, si cum tot antiquissimis, sanctissimis doctissimisque Viris conferatur, qui rem hanc literis consignarunt. Equidem scio Magdeburgenses, Rivetum, Basnagium argumento negativo maxime delectari; imo Launoio, Dupinio, aliisque Criticis ultro concedo, magnam esse huiusce argu-

menti

menti efficacitatem; neque enim is ego ſum, qui miras illas hypotheſes probare poſsim, quas nonnulli ad illud eludendum confingunt, ut quaſvis aniles fabellas, quas in Metaphraſte, aliove id genus Scriptore legunt, pro aris fociſque tueantur. In malam rem abeant nequiſsimi veritatis oſores, quam prodere non dubitant, ut quibuſdam adſententur, quorum gratiam aucupari ſua plurimi interſit. Illud tamen veluti certiſsimum Veritatis propugnandae Canonem ſtatuto: Tum ſolum negans argumentum in hiſtoricis rebus vim habere, dum a nullo neque aequali, neque proximo Scriptore res quaepiam narratur: ſeu, quod idem eſt, argumentum negativum non ab unius Scriptoris, ſed ab omnium tum aequalium, tum proximorum ſilentio, ut efficax ſit, petendum eſſe.

VII. Quod ad Conſtantinum adtinet, addo, eius ſilentium minus mirandum eſſe, quam Euſebii ſilentium. Etenim *Beatiſsimum illum*, inquit Euſebius *Lib.* III. *Cap.* 25. *Dominicae Reſurrectionis locum, qui eſt Hieroſolymis, inluſtrem, ac venerabilem cunctis mortalibus efficere* (Conſtantinus) *officii ſui eſſe exiſtimavit*. Quid igitur mirum? Conſtantinum ob effoſſum Domini Sepulchrum, de quo venerabili efficiundo unice ſollicitus fuerat, tantopere exſiliiſſe, ut diſſimulata Crucis Inventione in Dei laudes ad Macarium ſcribens erumperet, quod ſuis temporibus Sepulchri manifeſtationem reſervarit. Quae quidem mirifice confirmantur ex occaſione, qua ad Sepulchrum Dominicum honoribus afficiendum Conſtantinus permotus eſt. Eam ſic deſcribit Theodoretus *Lib.* I. *Eccl. Hiſt. Cap.* 15. *Quum enim certior factus eſſet, Corybantum more inſanientes, bacchanteſque idolorum cultores, Sepulchrum Dominicum . . . aggeſta terra obruiſſe, ac deſuper*

 la-

lascivae Daemonis fanum Virgineo partui insultantes exstruxisse; primò exsecrandum aedificium illud dirui, &c. Viden? ne cogitasse quidem de Cruce invenienda Constantinum, quum haec adgrederetur, sed unius ea in re Sepulchri honorem curasse.

CAPUT V.

Aliud Haereticorum argumentum ab Auctorum dissensione in Crucis Inventae Historia referenda depromptum refellitur, & Ruffini Historia etiam quod ad circumstantias adtinet, vindicatur.

I. HActenus de Eusebio, & Constantino. Alia nunc adversariorum momenta examen deposcunt. Primum est Auctorum in Crucis Inventione describenda dissensio. Argumentum sane ficulneum. Quot enim, Deum immortalem! Virorum eruditorum Controversiae de Romae conditae Epocha, de Anno Nativitatis, Baptismi, ac mortis Christi! Numquid vero sanae mentis quispiam inferat, Romam non fuisse conditam, Christumque neque natum, neque baptizatum, neque vita functum fuisse? De loco, quo Baptismi lavacro Constantinus ablutus fuit, Romaene, an Nicomediae, a Viris doctissimis ambigitur, aliis pro Roma cum Baronio, pro Nicomedia plerisque emunctioris naris Criticis stantibus. Qua igitur fronte ad hocce ridiculum argumentandi genus Heterodoxi confugere audent, ut sententiam suam de Cruce nusquam reperta nobis suadeant? Sed est aliud praeterea

rea

rea quo ea ratio infringatur. Auctores nempe omnes facili negocio conciliari possunt. Atque id hoc potissimum capite praestandum: quod antequam fiat, illud in universum moneo, Historicis haud insolens esse, ut eandem rem memoria prodentes, alii alia eius adiuncta commemorent ab aliis praetermissa, sive quod compendiario stylo uti vellent, sive quod ea ignorarint, sive quod ad suum institutum minime facerent. Quo praejacto.

II. Statuo primo. Epocham Inventae Crucis Anno Christi 326. Constantini Imperat. 21. Sylvestri Pontificis 13. consignandum esse. Concilium enim Nicaenum habitum est anno 325. Constantini 20. Sylvestri 12. ut contra Bellarm. *Lib.* I. *de Conciliis Cap.* 5. in Annum 330. illius celebrationem differentem communis est, cum Onuphrio Panvinio Chronologorum sententia. Porro Crucem post Nicaenum Concilium, & proximo quidem anno ab illius exitu, inventam esse, cum Iohanne Pinio §. 6. *num.* 63. certissimis argumentis ducor, ut sentiam. Ac primo quidem, ut testatur Theophanes in Chron. *p.* 18. *Macario Hierosolymorum Episcopo, qui Concilio interfuit, mandavit Imperator, ut reversus sanctae Resurrectionis locum, & Calvarii Golgotham, & vivificum Crucis lignum repeteret*: & pag. 20. referretur ab eodem Chronographo *cum debito honore Imperatrici factus obviam Macarius Hierosolymorum Patriarcha*. Nicaea autem non antea Macarium discessisse, quam Concilium solutum fuerit, ex ipsius Synodi Actis constat. Eusebius quoque *Lib.* III. Vitae Constantini eum scribendi ordinem servat, ut narratis rebus, quas occasione eiusdem Concilii gesserat Imperator, haec *Cap.* 25. subnectat: *His ita gestis, Imperator Deo carus aliud quiddam inprimis memorabile adgressus est in Pa-*

laestina. Quid illud? *Beatissimum illum Dominicae Resurrectionis locum, qui est Hierosolymis, inlustrem, ac memorabilem cunctis mortalibus efficere, officii sui esse existimavit*. Audin? *His ita gestis*. Post Concilium igitur ea Constantini animum subiit cogitatio, quam ut exsequeretur Hierosolymam sese Helena contulit.

III. Proximum autem a Nicaeno Concilio annum ut adsignem, facit Ruffinus, qui *Lib* x. *Cap*. 6. de exemplo Fidei Nicaenae, & Concilii Decretis locutus *Cap*. 7 ita prosequitur: *Per idem tempus Helena Hierosolymam petit*. Sozomenus quoque in eandem sententiam loquitur. *Quum iam Concilium Nicaenum venisset ad exitum, & Sacerdotes domum revertissent, Imperator supra modum ideo laetatus est, quod Ecclesiam universam de doctrina Fidei consentientem videret . . . Per idem fere tempus Helena Imperatoris mater venit Hierosolymam*. In Chronico Eusebii Inventio S. Crucis refertur ad annum Constantini XV. aut XVI. sed iam monuimus, neque Eusebii, neque Hieronymi verba illa esse, sed inertis cuiusdam Librarii. Neque vero antiquissimis hisce Scriptoribus opponet prudens homo, aut Chronographum Saxonem Leibnitii, aut Alberici Chronicon ab eodem Leibnitio vulgatum, quorum hic anno Domini 318. ille 328. Dominicae Crucis Inventionem consignat. Multo magis a vero alienum est, quod ait Zonaras *Tom*. III. Annal. in Const. Magno, scilicet *Helenam post baptizatum Constantinum, adscito sibi comite S. Silvestro Hierosolymam, abiisse*. Commentum hoc esse, inquit post Baronium Gretserus, inde liquet, quod nulla vel maiorum traditione comprobetur, vel antiquorum Scriptorum auctoritate fulciatur. Quid? quod Constantinus Nicomediae, sub vitae finem

anno

anno 337. novem ſcilicet, aut decem ipſis annis poſt Helenae Matris obitum, baptizatus fuit, ut ex Ambroſio, aliiſque vetuſtiſſimis Scriptoribus probat Papebrochius in Propylaeo Maii, & Conradus Ianningus in Apologia pro Actis Sanctorum.

IV. Statuo ſecundo, Paullino dicenti *Ep.* 31. *al.* 11. ad Severum: *Hadrianum Imperatorem in loco paſſionis ſimulacrum Iovis conſecraſſe*, non adverſari Euſebium *Lib.* III. de Vita Conſt. *Cap.* 25. Sozomenum, Socratem, & Georgium Hamartolum in Chronico ſcribentes, ibi *fanum Veneris ſuperextructum fuiſſe*. Qua de cauſſa Cl. Roſweidus in eum Paullini locum coniicit, Calvariae locum adpellatum fuiſſe *Venerarium* ab Ambroſio in *Pſ.* 47. aliiſque. Nam ex S. Hieronymo conſtat, Hadrianum, vel Ethnicos eius temporibus in loco Reſurrectionis (qui & ipſe pars loci Paſſionis Dominicae, atque adeo locus Paſſionis erat) poſuiſſe ſimulacrum Iovis: at in Crucis rupe ſtatuam marmoream Veneris. *Ab Hadriani temporibus* (verba ſunt S. Doctoris *in Ep.* 49. *al.* 13. *ad Paullinum de Inſtitutione Monachi anno* 395. *conſcripta*) *uſque ad imperium Conſtantini per annos circiter centum octoginta, in loco Reſurrectionis ſimulacrum Iovis; in Crucis rupe ſtatua ex marmore Veneris, a Gentibus poſita colebatur: exiſtimantibus perſecutionis Auctoribus, quod tollerent nobis fidem Reſurrectionis & Crucis, ſi loca ſancta per Idola polluiſſent.* Paullinus itaque Paſſionis locum late uſurpat, ut locum Reſurrectionis etiam comprehendat. Atque heinc factum eſt, ut Baſilica ibidem Conſtantini juſſu exſtructa, modo *Paſſionis*, modo *Anaſtaſis* nomen ſortita fuerit, licet una eademque, uti adverſus Gretſerum *Lib.* I. *de Cruce Cap.* 63. & Iacobum Sirmundum *de triplici nummo*, convenit inter

Eruditos, praeunte doctifsimo Valefio *in Epift. de Anaftafi*, *& Martyrio Hierofolymitano* ad calcem Notatum fuarum Eufebii Hiftoriam fubiecta.

V. Statuo tertio. Ruffinum, Theodoretum, ac Socratem Crucem Domini agnitam fcribentes, feminecì feminae incolumitate reddita per falutarem Crucis contactum, Paullino, ac Sulpicio non refragari, qui Dominicae Crucis contactu mortuum ad vitam revocatum ferunt. Etenim utrumque miraculum patratum fuiffe non Nicephorus modo tradit *Lib.* VIII. *Cap.* 29. fed etiam Sozomenus *Lib.* II. *Cap.* 1. ubi poftquam miraculum feminecis feminae valetudini reftitutae enarraverat, e veftigio fubdit: *Aiunt etiam mortuum eodem modo ad vitam effe revocatum*. Difficilius eft his conciliare Ambrofium, & Chryfoftomum ex Titulo Crucem agnitam fuiffe contendentes. Sed cum Ruffinus fatis indicet, ex Titulo Crucem agnitam fuiffe, fed non omnino evidenter, quia Titulus Cruci adfixus non erat, fed prope eam iacebat, & idcirco, ut nullus dubio locus fupereffet, Macarium ad miraculum confugifse: dici optime poteft, Ambrofium, & Chryfoftomum a veritate non aberaffe; quin tamen falfa effe confequatur, quae ceteri de miraculis ea occafione patratis tradiderunt. Atque ex his conftare arbitror, Auctores, qui Inventionem Sanctae Crucis fcriptis confignarunt, inter fe minime diffentire, etfi aliquid inter eos difsidii primo intuitu adparere pofsit.

VI. Nonnulla nunc expedienda funt, quae obiicit Bafnagius. Ait ille: *vero non effe proximum, Latronum Cruces cum illa Chrifti uno eodemque loco fuiffe conditas. Non a Iudaeis qui cum fupplicii inftrumentis cadavera damnatorum fepelliebant: non a militibus Romanis, quibus mos ille Iudaeorum non ufurpabatur. Neque etiam ulla defuncto-*

rum

rum ossa inerant in monumento, ubi Crux Domini iacuisse fertur: indicio Crucis latronum cum ipsis non fuisse sepultus. Ne tamen Vir eruditus hac de caussa ambigeret, consulere poterat, aut Menochium *de Republ. Hebr. Lib.* VIII. *Cap.* 2. *num.* 15. aut Gretserum *Lib.* I. *de Cruce Cap.* 62. qui ipsum omni scrupulo liberassent. *Dubitare non licet*, inquit Gretserus, *nisi fortassis sine ratione, latrones in monte Calvariae, hoc est, in ipso loco supplicii fuisse tumulatos: eadem enim vespera ex lege & consuetudine Iudaeorum sepeliebantur suspendiosi. Et quae caussa, quaeso fingi, potest, cur ad alium locum, sepulturae gratia translati fuerint, sub tempus vesperae non tam appropinquantis, quam iam praesentis? Quum igitur latrones in monte Calvariae sepulti sint, hortusque, in quo humatus est Dominus, itidem in eodem monte fuerit, & quidem non procul a loco supplicii, ut Evangelista testatur* (Iohannes Cap. 19.) . . . *a vero non abhorret, tres Cruces simul terra fuisse a militibus obrutas, neque procul a sepulchris latronum, neque etiam admodum remote a Sepulchro Domini; neque enim instrumenta necis cum interfectis eodem in loco semper tumulabantur, sed vel in eodem, vel non procul inde*. Hactenus Gretserus.

VII. Quod autem Basnagius ait, a militibus Cruces cum illa Christi uno eodemque loco non fuisse conditas, Sozomeno adversatur, qui *Lib.* II. *Cap.* 1. de militibus ait: *Cruces temere hinc inde proiecerunt. Quid enim curae illis fuisset, Cruces eo, quo prius erant, ordine reponere, quum singuli vespertinam horam praevenire maturarent?* Quae quidem verba non sic intelligenda esse, opportune Gretserus denotat, ut sensus sit, Cruces diversis locis fuisse terra opertas; sed (uti verba ipsa declarant)

rant)

rant) ita, ut significare Historicus voluerit, non fuisse etiam in loco eodem, quo erectae steterant, ordine conlocatas, ut scilicet Domini Crux media esset, sicuti antea fuerat; sed indiscriminatim, ac sine ullo ordine unum in locum a militibus abiectas esse. At nulla defunctorum osa inerant in monumento. Nego. Quei probabit Basnagius? Numquid quia apud Historicos nulla rei huiusce mentio? Sed quaeso, quid in illorum ossium inventione peculiare fuit, ut eam indicare operae pretium fuerit? Praeterea neminem ne post, vel etiam ante Crucifixi Domini tempora ibidem sepultum fuisse credibile est? Quod si alii tumulati, osa utique latronum cum ceterorum osibus, praesertim quum mons effoderetur, confundi necesse fuit. An vero de latronum osibus secernendis sollicita esse debuit Helena? An de quibus distinguendis Helenae cura esse non debuit, debuit de iis memorandis Historicis esse sollicitudo? Itaque quum heinc Scriptores sanctitate, doctrina, vetustate spectabiles Crucium inventionem testentur; heinc vero Iudaeis in more positum esse constet, ut vel eodem in loco, vel penes sepulchrum cum supplicii instrumentis cadavera conderent; concludere debuerat Vir Criticus, defunctorum quoque osa reperta fuisse, quorum mentio, nullo Literariae, atque Ecclesiasticae Reipublicae detrimento negligi potuerit.

VIII. *Quaeri & illud potest* (instat Basnagius) *num annis pene trecentis in solo Hierosolymitano Cruces absque putredine servari potuerint, cessante miraculo*. Egregie. Quaerenti vero responderi potest cum S. Paullino *Ep.* 31 *al.* xi. ad Severum: *Ergo Crux Domini tot operta aetatibus . . . nonne divina manu latuit, ut tunc inveniretur, quum religiose quaereretur?* Miracula Criticis Roterodamen-

mensibus stomachum faciunt; sed suae incredulitati vitio id vertant. Quod siquis dicat, Crucem Dominicam divinitus conservatam fuisse, concedere sese; at idem de Latronum Crucibus persuaderi non posse: reponam, & has miraculose conservatas fuisse, ut dum Crux Dominica erat invenienda, miraculis illis inclaresceret, quae in illius inventione patrata fuisse, Ruffinus ceterique commemorant: Quamquam servatas Cruces illas citra miraculum dicere possumus. *Saepe enim* (inquit Trombellius *Cap.* 3. *num.* 3.) *domorum fundamenta dum iacimus, nonnulla obcurrunt multis antea seculis illic posita, eaque integra prorsus, atque inlaesa*. Vrget Basnagius. *Quod si repertum ab Helena Domini patibulum putamus, non iis sane miraculis, quae Ambrosio ignorantur, atque Chrysostomo, imo & Cyrillo, qui ea non praeteriisset, si patrata fuissent*. En iterum inficiale argumentum hac in re sibilis explodendum, quum Ruffinus, Paullinus, & ceteri, Ambrosio, Chrysostomo, aut Cyrillo silentibus non idcirco contrarii, illa referant, praesertim, quum ad Cyrillum quod adtinet, nulla ipsi caussa fuerit, cur miracula illa recenseret, uti ne ipsius quidem Tituli meminit; Chrysostomi vero ea dissimulare interesset, ut Crucis Titulum, quem eo in loco laudibus exornandum susceperat, magis commendaret.



CA-

CPVT VI.

Gelaſii Papae Decretum expenditur, & quid de Actis S. Iudae Quiriaci, ex quibus prima Inventae Crucis Hiſtoria Cap. I. ſummatim exhibita eſt, ſentiendum ſit, exponitur.

I. NOlim tamen ex his, quae hactenus a nobis ſtabilita ſunt, quiſpiam colligat, admittere nos Acta quaedam Apocrypha, ex quibus Capite primo, primam Inventae Crucis Hiſtoriam ſummatim reddidi. Imo huiuſmodi Acta reſpexiſſe contendo Gelaſium Pontificem in Synodo Romana anni 494. ubi ſic ex antiquiſſimo Codice Palatino Bibliothecae Vaticanae num. 493. fol. 101. apud Cl. Fontaninium in Appendice ad Antiquitates Hortae. *Item ſcriptura de Inventione Crucis Dominicae, & aliam de Inventione capitis Iohannis Baptiſtae novellae quidem relationis, & nonnulli Catholici legunt. Sed cum haec ad Catholicorum manus advenerint, beati Paulli Apoſtoli precedet ſententia: Omnia probate, quod bonum eſt, tenete.* Contendunt quidem Sectarii heic a Gelaſio omnes Inventae Crucis hiſtorias reprobari: ſed egregie falluntur. Primo enim eam Scripturam de Inventione Crucis reiicit, quod novellas quaſdam relationes habeat; at numquid novella relatio quincto exeunte ſeculo dici potuit Hiſtoria, quam Cyryllus, Ambroſius, Ruffinus, ceterique a nobis laudati tradiderunt, quorum plerique uno ſeculo Gelaſium anteceſſerant? Deinde Gelaſius ibidem Opuſcula B. Ambroſii, ac Ruffini Hiſtoriam Eccleſiaſti-

cam

cam recipit, laudatque. Non igitur Historiam reprobare potuit, quae tam diserte inibi traditur. Neque Hospinianus dicat: *Si certo constitisset, Crucem ab Helena fuisse inventam, neminem tam impudentem futurum fuisse, qui alias, & quidem novas Relationes, de hac ipsa Cruce inventa, confingere, & publicare ausus esset*. Etenim nonne certo constabat. Evangelicam Historiam a Sanctis quatuor Evangelistis, Matthaeo, Marco, Luca, & Iohanne fuisse conscriptam? Quot tamen Evangelia procusa sunt, quae ab eodem Gelasio inter Apocrypha merito recensita fuere.

II. Alia igitur omnino est, quam heic Gelasius reprobat, Inventionis Historia. Eam puto fuisse, quae primam partem Actorum S. Iudae Quiriaci conficit. Innumera sunt, quae in illis Papebrochius merito carpit T. 1. Maii ad diem 3. c. 2. & fusius ad diem IV. ut Tillemontius *Tom.* 7. Monum. Adnot. 3. in S. Helenae Vitam dixerit, non putare se, ullum deinceps repertum iri, qui adversus Papebrochii rationes illa tutari audeat. Erravit tamen Tillemontius. Nam anno MDCCXXXIV. fuit Gerardus Castael Canonicus Ordinis Sanctae Crucis, qui in suis Controversiis Ecclesiastico Historicis Coloniae Agrippinae editis Controv. XXV. fabellas illas a Papebrochio tot invictis argumentis explosas iterum venditare non timuit. O bonas gentes, quibus hae nugae adrideant! Audi aliqua, quae in illis Actis perscripta sunt. Annum Inventae Crucis statuit illorum auctor nugacissimus, annum 233. post Passionem Domini Nostri Iesu Christi 266. post eiusdem Nativitatem assignat; atqui certum est, Crucem primum inventam fuisse post Nicenum Concilium. Eodem anno regnantem inducit Constantinum Magnum nondum natum.

Scri-

Scribit insuper, *gentem barbarorum multam, super Danubium congregatam, ac paratam ad bellum*, timorem Constantino intulisse *usque ad mortem*, idque *in sexto anno Regni eius*: quando nempe, ex quo regnare coeperat, Danubium, aut Orientem nondum viderat, nec aliquanto post visurus erat, in Gallia, atque Italia subigenda detentus, & hoc ipso sexto Imperii sui anno, magno adparatu ad Tiberim contra Maxentium movens, quando & Crucis signum conspiciatus est in aere, quod Auctor Historiae ei adparuisse contra Barbaros ad Danubium proficiscenti perperam dicit.

III. A Danubio Constantinum deducit Auctor *in suam Civitatem*, utique Constantinopolim; unde *mittens ad Eusebium Episcopum Vrbis Romae, fecit eum venire ad se, qui catechizavit eum fidem Christianorum, & baptizavit eum*. Quot paucis verbis historica monstra! Obiit Eusebius Papa anno Vulgaris Aerae 310. aut 311. Quomodo haec Epochae, quam Inventae Cruci Auctor adsignat, cohaerebunt? Praeterea quei anno Regni sui sexto Constantinus in suam Vrbem Constantinopolim venerit, quam anno Imperii 23. primum construere coepit e Byzantio? Quod vero de Constantino Constantinopoli per Eusebium Papam sacris undis abluto dicitur, quam ineptum, quam a vero alienum, quum nemo nesciat, Constantinum aut a Sylvestro Romae, aut Nicomediae, sive ab Eusebio, sive (quod cum Cl. Ianningo mihi probabilius est) a Petro Solorum in Cypro Civitatis Episcopo baptizatum fuisse? Sed quam ridiculum illud! Eusebium ab Helena adcersitum Hierosolymam, illucque profectum fuisse, ut Episcopum Iudam consecraret, Eusebium, inquam, qui pedem in Pontificatu Italia non extulit, & nescio an Roma extulerit, paucorum

rum menſium Pontifex. Quis vero audivit, vel legit unquam, trans mare, aut omnino Roma egresſum Pontificem, ad Epiſcopum qualemcumque ordinandum?

IV. Porro quid de Iuda Cyriaco dicendum, cuius nomen e ſeculo ſecundo, & Hadriani Imperatoris aetate adceptum, Graeculus huius hiſtoriae auctor ad ſeculum IV. & Conſtantini, atque Helenae tempora tranſtulit, quaſi eum pro merito indicatae Crucis ad ſedis Hieroſolymitanae regionem conſecrari curaverit Helena? Quid de Macario, quem unum meliores Scriptores in toto hoc negocio nominandum putaverunt, ne ſemel quidem in Actis ceteroqui fuſiſſimis memorato? Quid igitur mirum, ne apud Graecos quidem fabulas haſce ante ſeculum IX. fidem inveniſſe? Certe Theophanes primum Monachus, inde Agri Abbas, qui IX. ſeculo floruit, ad annum Conſtantini Imperatoris XXI. rem late deſcribens, nihil omnino a Ruffini, ac Theodoreti narratione diſſentit. Dixi *ante ſeculum* IX. quia nugas illas paullo poſt Theophanis tempora Synaxariorum, ac Menaeorum auctores ſequuti ſunt ad 28. Octobris de S. Cyriaco agentes; ante illa vero tempora vix ullus Graecus Scriptor proferri poterit, qui cum horum Actorum fabricatore ineptiverit. Nam, quae ſub Andreae Cretenſis nomine circumfertur Oratio *de Sancta Cruce*, alium plane auctorem habet, eumque incertum, ut extra controverſiam eſt apud eruditiores. Illas quidem a ſe viſas ſatis indicat Sozomenus, dum ait, Sepulchri locum Helenae innotuiſse *ſive indicio cuiuſdam Hebraei in Orientis partibus degentis, ut quidam aiunt*; ſed cum ſubiiciat, *ſive, ut verius opinori licet, Deo ſignis quibuſdam ac ſomniis eum oſtendente*, manifeſto demonſtrat, ſibi illas fabellas minime probatas fuiſſe.

V.

V. Latini longe citius, quam Graeci eas fabula amplexi sunt. Amplexus est initio seculi VI. Auctor Catalogi secundi Romanorum Pontificum a Papebrochio, & Henschenio inlustrati in Propylaeo Maii, quem ceteri Pontificiorum Catalogorum Editores sine scrupulo descripserunt. Scribit enim in Eusebio: *sub huius tempora Inventa est Sancta Crux Domini Nostri Iesu Christi* V. *Nonas Maii. Heic baptisatus est Iudas Quiriacus*. Amplexus est Turonensis Gregorius *Lib.* I. *Hist. Francorum Cap.* 34. ubi de Constantino agens, *Huius*, ait, *tempore venerabile Crucis Dominice signum, per studium Helenae repertum est, prodente Iuda Hebraeo, qui post baptismum Quiriacus est vocitatus*. Amplexi sunt Martyrologi Florus, Rabanus, Notkerus, Balbulus, & Vsuardini textus amplificatores aliqui. Amplexus demum est Berengosius S. Maximini Abbas initio XII. seculi (uti ex Diplomate Henrici V. probant Sammarthani Fratres in Gallia Christiana *Tom.* IV. Antiquae edit.) tribus in libris, quos *de laude, & Inventione Sanctae Crucis* conscripsit. Sed excusandi antiqui Scriptores, viri aliunde maximi, quod temporibus illis, quibus exiguum adhuc studium discernendarum Historiarum erat, atque criterion, bona ut plurimum fide adlegarint, sequutique sint scripta, quae alii harum rerum peritiores aut repudiarunt olim, aut nunc omnino repudianda iudicant.

VI. Nonnihil negocii nobis facesseret Hieronymiani Martyrologii textus, qui in Codicibus Lucensi Florentinii, Traiectensi Henrici Iulii Baronis de Blum, Corbeiensi Acherii haec habet: *In Ierosolyma Inventio Sanctae Crucis D. N. Iesu Christi, ab Helena Regina, post passionem Domini anno* 233. *regnante Constantino Imperatore*. Sed quoniam a ve-

a vetustissimo eiusdem Martyrologii Ecgrapho Eptenarcensi absunt ea verba, illa aliunde in eos Codices ex apocryphis Actis inrepsisse certum mihi est. Maiorem difficultatem haberet, quod in Epistola Eusebii Papae ad Episcopos Tusciae, & Campaniae legitur: *Crucis ergo D. N. Iesu Christi, quae nuper, nobis gubernacula S. Romanae Ecclesiae tenentibus*, V. *Nonas Maii inventa est, in praedicta Kalendarum die, Inventionis festum vobis solemniter celebrare mandamus*. Verum hanc epistolam iam nemo non agnoscit, cum Natali Alexandro, Papebrochio, Labbeo, Harduino, Constantio suppositiciam esse, uti & ceteras Romanorum Pontificum, usque ad Siricium Decretales Epistolas, in quibus vindicandis frustra elaborasse Franciscum Turrianum nostrum, virum cetera sacrarum rerum longe peritissimum, Graecisquae literis adprime excultum, dolent eruditissimi quique. Quamvis tamen eam genuinam esse admitteremus, facilis responsio ea esset, quam dant Surius, Gretserus, ac Severinus Binius; ea verba aliunde adscita, & extrinsecus addita fuisse. Citatur quidem haec Epistola, imo & verba iam dicta adferuntur a Gratiano; sed maior fides (ait Natalis Alexander *Sec.* 1. *diss.* 21.) adhibenda est doctissimo eius emendatori Antonio Augustino Tarraconensi Archiepiscopo, quam Gratiano ipsi, cuius collectio innumeris erroribus scatet, in eo praesertim, quod pseudepigrapha frequentius citat, & Patribus, Pontificibusque, & Conciliis ea decreta tribuit, de quibus ne cogitarunt quidem, ut constabit legenti librum illum Archiepiscopi inscriptum: *Gratianus emendatus*. Neque Ecclesiam sequi Gratianum arbitreris. Multa enim sunt in ea Collectione, quae Ecclesia non probat, quum errores probare non possit.

VII. Obiiciet quispiam, Acta, quae hoc capite impugnavimus, olim in Ecclesia lecta fuisse. Sed audiendus Monachus Antissiodorensis, qui XIII. ineunte seculo de Crucis Inventione acturus, sic loquitur. *Non satis mirari possumus, quomodo illa Scriptura, in qua plenius describitur huius Inventionis fictitia historia, ad legendum sit in Ecclesiam introducta: nam nullatenus stare potest, si temporum series discutiatur, & veritas inquiratur.* Post haec verba Monachus historiam illam ad examen vocat, mirisque modis versat. Tum demum sic concludit. *Quod si quis adserat, hoc ideo esse tenendum, quia recitari in Ecclesia ex longa consuetudine sit inductum: sciat, quia ubi ratio repugnat usui, necesse est, usum cedere rationi. Aurea enimvero sententia* (ait Papebrochius *in Paralipomenis* ad diem IV. Maii T. VII.) *& centies inculcanda iis, quibus impium, & intolerabile videtur, si quid eorum, quae in usu Ecclesiae fuerunt, aut forte etiam nunc sunt, per verioris historiae ignorantiam introducta, fabulositatis arguatur* Ceterum ante hunc Monachum non omnes Latinos hasce fabulas credidisse, ex Vita S. Helenae compertum fit, quae ab Almanno post seculi noni medium Coenobita Altivillarensi conscripta, T. III. Augusti ab Iohanne Pinio vulgata est.

VIII. Constat igitur, primam Inventae Crucis Historiam, quam *num.* I. exposuimus, fictitiam esse, ac fabulis contextam: sed aliud est, Crucis Inventionem negare, aliud fabulosas quasdam Inventionis circumstantias reiicere. Primum impudentissimi Haeretici faciunt, Helenae, nomini iniurii,

Quae invenisse Crucis fertur mirabile lignum,
In qua Christus honor mundi, laus, vita pependit,

ut

ut canit Alcuinus *Poëm.* 244. Nos cum Viris doctissimis alterum. Atque hoc discrimen animadvertere debuerat Paullus ille a S. Sebastiano, qui in Bollandianos Carmelitici Ordinis antiquitati infensos calamum inclementer strinxit, & in sua errorum exhibitione hanc Papebrochio calumniam impegit, *quod historiam Inventionis Sanctae Crucis, in Ecclesia receptissimam, & Romano Breviario insertam, repudiet tanquam fabulam.* Profecto qui Theologiam Lovanii bis tradiderat, non admodum insudare debuerat, ut manifestum adeo discrimen intelligeret, pernosceretque. Sed hominem mendacissimum, atque non a Papebrochio solum, atque Ianningo profligatum, sed ab universo literario orbe explosum, mittamus. Ipse interea coronidis loco Helenae, cui inventam Crucem debemus, epigraphen pono, qua doctissimus Alfordus noster *num.* 71. Piae Imperatricis nomen exornavit.

HELENAE
DEBET . CHRISTIANVS . ORBIS.
CONSTANTINVM . ET . CRVCEM.
IN . VTROQVE
RESTITVTAM . FIDEM.



INDEX CAPITVM.

THE-

THESES
HISTORICAE, CHRONOLOGICAE CRITICAE. PHILOLOGICAE etc.

Ad Vitam

S. CONSTANTINI MAGNI
IMPERATORIS AVGVSTI

PRO DISPVTATIONE HABENDA

In Regali Collegio Carolino Nobilium
ſub regimine PP. Soc. Ieſu,

Panormi, *Anno* CIↃ IↃ CC XXXVI. *Menſe Aprili*,
Die . . . *Hora poſt meridiem* IV.

Ab ANTONIO MARIA LUPIO Flor.
Soc. Ieſu propoſitae, cum Adnotationibus
& Appendice

FRANCISCI ANT. ZACHARIAE
EIVSDEM SOCIETATIS

IOHANNI BAPTISTAE ROBERTO
SOCIETATIS IESV
FRANCISCVS ANTONIVS ZACHARIAS
EIVSDEM SOCIETATIS
S. P.

MVnusculum habes, mi Roberte, te, tuisque studiis sane dignum; libellum, inquam, ab eruditissimo Societatis nostrae Presbytero Antonio Maria Lupio nimis heu! inmatura morte nobis erepto, conscriptum, paucisque nostrarum regionum hominibus notum; *Theses ad Vitam S. Constantini Imperatoris*. Pauculas ipse adnotationes addidi, atque appendiculam fortassis non inutilem, ut neque eorum quidquam, quae ad magnum hunc Imperatorem spectant, desideraretur; neque ignoratio fontium, unde uberiorem rerum ab eo gestarum notitiam haurire quis posset, pretium opellae lectissimae demeret apud imperitos. Tibi autem, quod eam inscribam, quum plures sint caussae, amicitia nostra, tuus ille hominum nostrae Societatis de litteraria Republica optime meritorum amor singularis, studiorumque nostrorum similitudo, ac veluti communio quaedam; tum munus maxime facit, quo isthic fungeris, nobilissimos Iuvenes in Historia veterum temporum exercendi. Etenim disputationum illarum, quas in magna praeclarissimorum hominum frequentia instituere quotannis decet auditores tuos specimen ceteris aliquod daturos doctrinae diligentiaeque suae, inlustre exemplum hinc sumere facile poteris. Interea vide, ne ad haec, Theologicaque studia totum ita te conferas, ut temporis nihil supersit ad recognoscendas, editionique parandas Iacobi Antonii Bassani epistolas, ceterasque, quae sunt apud te, politissimi, atque elegantissimi huiusce Scriptoris lucubrationes; has enim a te iure quodam expectamus postquam illius carminibus in lucem emissis reliquorum eiusdem Opusculorum incredibile nobis desiderium excitasti. Vale. Florentiae A. D. V. Kal. Quinctileis, Anno vulgatae Aerae CIↃ IↃ CCXXXXIX.

THE-



THESES HISTORICAE
Chronologicae Criticae Philologicae
Ad Vitam
S. CONSTANTINI MAGNI
IMPERATORIS AVGVSTI

I. Sanctvs, atque (ut Graeci loquuntur) ΙΣΑΠΟΣΤΟΛΟΣ, (1) Imp. Caes. Marcvs Avrelivs Valerivs Flavivs Clavdivs Constantinvs Augustus, cui operum praeclarissimorum, quae gessit, splendor & multitudo, *Magni* nomen merito peperit, iure nobilissimus censeri potest omnium suae aetatis Imperatorum. Patrem namque habuit Flavivm Valerivm Constantivm (*Chlorum*) Augustum; qui Evtropio, viro Romani sanguinis inter Dardanos conspicuo, & Clavdia natus erat; cuius Claudiae Pater fuisset Clavdivs Crispvs, alter M. Avrelii Clavdii *Gotthici*, & M. Avrelii Clavdii Qvintilli Imperatorum Frater.

II. Flaviam Iuliam Helenam vero Constantini Matrem, quantumvis incompertae patriae (2) & conditionis; tamen non ignobili genere ortam

coniicimus. (3) *Stabulariam* eam vulgo creditam fuisse narrat S. Ambrosius in Encomio funebri Theodosii Imperatoris: verum vulgaris haec persuasio nullam habuit potiorem originem (ut credimus cum Tristano, & Bandurio) quam sarcasmos amaros Paganorum, irridentium pietatem sanctissimae feminae, quod natale Christi stabulum conquisisset, atque Aede pulcherrima ornasset. (4) Ei, adhuc puellae, vitium allatum a Constantio Chloro, quem hospitio excepisset, & disseminavere in vulgus maligni homines, & in errorem inductus credidisse videtur S. Ambrosius. (5) In quo, calumniam pudicissimae feminae adhibitam dicimus, & notam inustam Augusto Filio, cuius originem nobilissimam, quocumque demum artificio, deterere conati sunt falsorum Numinum superstitiosi cultores, atque in primis Zosimus; quem Constantini, atque Helenae in Ecclesiam pietas acriter coquebat. (6)

III. Natum Imperatorem Magnum in oppido Dardaniae Naïso, cum Constantino Porphyrogeneta, aliisque Scriptoribus Graecis putamus; (7) neque quidquam his contrarium dixisse Latinum anonymum Panegyristam Constantini; quidquid Gulielmus Cave, & Laurentius Patarolus sentiant. Adhaeremus enim Bandurio, Livineio, (8) & Lipsio, quos (quamvis ceteroqui in diversa abeuntes) non movent verba Oratoris eius, Constantino dicentis, *Tu nobiles* (Britannias) *illic oriendo fecisti*: ea namque, de evecto in Britannia ad Imperium Constantino, ex illius aetatis phrasi, intelligi possunt, ac debent. (9) Natum vero credimus sub initium anni CCLXXIV. (10)

IV.

IV. Imperium iniit ante diem VIII. Kalendas Augusti, anni CCCVI. cum Eboraci in Britannia, apud Patrem CONSTANTIVM esset; a quo moriente CAESAR appellatus; ab exercitu vero paternae potestatis heres renunciatus est, die eodem; ut cum Idatio tenemus. Neque enim, post Petavii supputationes chronologicas, considerandа putamus, quae de initio Constantiniani Imperii divinaverat Ioseph Scaliger, libro V. de Emendatione Temporum. (11)

V. Vnicum fuisse CONSTANTINVM eum, qui ab hoc anno, usque ad annum CCCXXXVIII. imperavit, nemo dubitaret; nisi P. Iohannes Harduinus, ingenii ceteroqui & eruditionis maximae vir, inaudita penitus & nova in hanc rem docuisset. Sed, quidquid ille divinet e numismatis suo arbitratu lectis, intellectisque, non audimus coniectationes eas, quibus, contra Historicorum, & monumentorum omnium fidem, tentavit Constantinos plures pro unico obtrudere. (12)

VI. MINERVINAM, quam adolescens uxorem duxerat CONSTANTINVS, & de qua CRISPVM sustulerat, mirificae indolis adolescentem, obtrectatores aliqui, post Zosimum & Victorem, ad concubinae conditionem depresserunt. Vt ut vero de patria, ac parentibus huius feminae, Scriptores altum sileant; negamus eam probroso contubernio CONSTANTINVM demeruisse; notamque illam turpem inventam arbitramur ab iis, quorum interat CRISPVM, adolescentem fortissimum, & Christianis praeterea sacris initiatum, in odium Ethnicorum, veluti spurium, adducere. Certum namque est ex Anonymo CONSTANTINI laudatore, in

Pa-

Panegyrico (V. inter Veteres) CONSTANTINVM *ab ipso fine pueritiae illico matrimonii legibus* traditum, sic ut *nihil de vagis cupiditatibus in sacrum pectus* admiserit; *novum iam tum miraculum*; *Iuvenis Vxorius*. (13) Neque item audimus eos; qui hanc MINERVINAM repudio dimissam volunt; ut superinduceretur FAVSTA, Maximiani Herculii Imp. filia; anno CCCVII. Vero namq. similius iudicamus MINERVINAM id temporis iam fuisse morte sublatam. (14)

VII. Quae Iacobus Oiselius (in Thesauro antiquorum Numismatum) & Iacobus Tollius (in adnotatis ad librum de Mortibus Persecutorum) confidenter admodum scripsere; fictum fuisse a CONSTANTINO miraculum Crucis sibi visae cum contra Maxentium pergeret, consueto antiquis Ducibus Stratagemate; temeraria penitus, & non ferenda putamus. (15) Sed, & contra Iohannem Albertum Fabricium defendimus, prodigiosam fuisse Crucem item, ac literas ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ Cruci circumpositas, quas CONSTANTINVS vidit; neque per naturale phaenomenon, Parelion scilicet, aut Halona; posse rem maxime mirabilem explicari.

VIII. Non tamen narranti, aut nuganti potius; Nicephoro credimus, ter Crucem CONSTANTINO apparuisse; primum Romae cum Maxentio belligeranti; iterum praelio devictis Byzantinis; tertio; cum Istro ponte iuncto, Scythas subegisset. Quot verba, tot fabulae. (16)

IX. Inscriptionem in arcu triumphali CONSTANTINI Romae propositam, atque item in maximi moduli Numismate apud Bandurium expressam;

IMP.

Sacrificia insculpta

VOTIS . X (b)

Item

VOTIS XX

IMP . CAES. FL . CONSTANTINO . MAXIMO
P. F. AVGVSTO . S. P. Q. R.
QVOD . INSTINCTV . DIVINITATIS . MENTIS
MAGNITVDINE . CVM . EXERCITV . SVO
TAM . DE . TYRANNO . QVAM . DE . OMNI . EIVS
FACTIONE . VNO . TEMPORE . IVSTIS
REMPVBLICAM . VLTVS . EST . ARMIS
ARCVM . TRIVMPHIS . INSIGNEM . DICAVIT

(a) *Sacrificia insculpta*

SIC . X (c)

Item

SIC . XX

Hinc *Intra fornicem maiorem Arcus* *Inde.*

LIBERATORI . VRBIS

FVNDATORI . QVIETIS

Arcum praeterea ipſum, cenſet P. Harduinus poſitum fuiſſe ob devictum Licinium, anno CCCXXI. potius quam ob caeſum Maxentium, anno CCCXII. non videmus quo fundamento; niſi quod ſolenne ſit Scriptori illi, nimis ingenioſo, a communi inter Eruditos opinione diſcedere; quod nobis, quibus *non licet eſſe tam diſertis*, permiſſum non credimus. (17.)

X. Christi nomen a Constantino in Scutis, Labariſve appoſitum, duplici figura repraeſentant nobis antiqua monumenta; in quibus & ſic effingitur ☧, & ſic P/T. Secundum vero hunc characterem vix non pinxere, Euſebius (Lib. I. de Vita Conſtantini cap. 31.) & L. Caecilius (in Lib. de Mortibus Perſecutorum cap. 44. Hic enim ita ait.

(a) *Imperatori Caeſari Flavio Conſtantino Maximo Pio Felici Auguſto Senatus Populus Que Romanus.* (b) *Votis Decennalibus. Votis Vicennalibus.* (c) *Sicut Decennalia; Sic Vicennalia*, ſcilicet *fiant*.

ait. *Fecit* CONSTANTINVS, *ut iussus est; & transversa X littera, summo capite circumflexo, Christum in scutis notat:* Is autem ita ait; χιαζεμένȣ τȣ̃ P, κατὰ τὸ μεσάιτατον. (a). Vt proinde mirari subeat, Harduinum nihil in eo monogrammate videre, praeter literam T, literae P subiectam; quae significent TRIBVTVM PRIMVM. Nos autem, cum oculatissimis quibusque Tributum ibi nullum videmus, sed CHRISTI nomen: in quo & Harduinus nobis suffragatur; qui alibi, in monogrammate hoc, CHRISTI nomen agnovit. (18)

XI. Baptizatum in suburbio Nicomediensi CONSTANTINVM, paucis ante quam moreretur hebdomadis, videntur tradidisse Eusebius (Lib. IV. de Vita Const.) S. Hieronymus, Theodoretus, Socrates, Sozomenus, Gelasius Cyzicenus, Photius, aliique ex antiquis; ut proinde haec evaserit vulgaris apud recentes Eruditos persuasio, post Cuspinianum, Perronium, Petavium, Lambecium, Valesium, Pagium, Papebrochium, (19) atque alios. Non tamen aut hae auctoritates, aut rationes quae afferuntur, tanti momenti sunt, ut discedendum putemus a communi apud Occidentales sententia. (20) Tuemur proinde, cum Cardinali Baronio, baptizatum fuisse CONSTANTINVM Romae, diu ante mortem, a S. Silvestro Pontifice; non Nicomediae ab Eusebio Episcopo Nicomediensi, Ariano; aut ab alio quopiam, quantumvis Catholico.

XII. Neque tamen, magnis ceteroqui viris, Ducangio, Mediobarbo, Begero &c. credimus, Baptismi huius monumentum haberi in aereo num-

mo

a) *Decussata littera P circa medium.*

mo ſecundi moduli, in quo; *Caput CONSTANTINI laureatum, ad humeros, cum paludamento*. IMP. C. CONSTANTINVS P F AVG. ℞ *Imperator paludatus ſtans, dextra geſtans globum terreſtrem, ſiniſtra haſtae adnititur:* CONSTANTINO P AVG BAP NAT. In ima vero parte (a) P L C. Quantumvis enim eas partis averſae notas BAP NAT, legerint eruditiſsimi hi viri BAPTISMI NATALITIA; tamen arbitramur, poſt Harduinum, Bandurium, Iobertum &c. ibi peritiſsimos Antiquarios fuiſse in fraudem inductos ab litera una fugiente; cum numi melius expreſsi habeant ſigla, B R P NAT, legenda, ut in ſaxis, & nummis aliis, BONO REI PVBLICAE NATO. (21)

XIII. Quamvis autem Romae baptizatum a S. Silveſtro CONSTANTINVM teneamus; non idcirco credimus hiſtoricae veritati conſentanea, quae narrantur de Imperatoris eiuſdem lepra; quam ſuſceptus, Silveſtro miniſtrante, Baptiſmus abſterſerit. Quantumvis enim & Graecos, & Latinos non paucos, & Syros etiam, ab Aſſemanno V. C. laudatos, ſuffragatores habere haec narratio videatur; tamen, vel ex apocryphis corruptiſve fontibus profluxit; vel ex metaphoricis antiquae Eccleſiaſticae diſciplinae locutionibus, non bene intellectis.

XIV. FLAVIVM IVLIVM CRISPVM NOBILISSIMVM CAESAREM, CONSTANTINI ex MINERVINA filium, Chriſtianum fuiſſe, & cum patre ipſo, atque avia S. HELENA bapti-

za-

(a) *Percuſſa Lugduni*. Du Cange;

gatum, libentes damus. Non tamen credimus (quod Baronius, Gretſerus, Ducangius, aliique (22) crediderant) cuſum ab eo Chriſti imaginem in numo aereo; cuius pars antica habet CRISPVM *ipſum laureatum, habitu Conſulari, dextra protenſa, ſiniſtra ſcipionem aquiliferum gerente*, CRISPVS NOB CAES; pars vero averſa, *figuram ſtolatam ſedentem* (quae a Baronio CHRISTVM repraeſentare credita eſt) *nimbo ad caput appoſito, protenſa dextera, praeferentem ſiniſtra Crucem, cum adſtantibus figuris duabus militaribus*, quas Baronius putavit CONSTANTINVM & CRISPVM referre) *& ſcriptis circum characteribus*, SALVS ET SPES X (CHRISTVS) R PVBLICAE. Male namque deſcriptum hunc numum Critici recentiores obſervavere, quibus figura illa ſedens, non CHRISTVM, ſed CONSTANTINVM repraeſentat (nimbo effulgentem, quod non ſine exemplo etiam in numis) ſedentem inter filios duos, Caeſares Nobiliſſimos, CRISPVM & CONSTANTINVM Iuniorem: characteres vero (expuncto illo X, qui non apparet in bene impreſſis) leguntur SALVS (*de Conſtantino*) ET SPES (*de Caeſaribus*) REIPVBLICAE.

XV. Qui liberalitatem ac munificentiam CONSTANTINI erga Eccleſiam Romanam eo uſque protendunt, ut credant donatam ab religioſiſſimo Auguſto Romanis Pontificibus Vrbem ipſam, ac Provincias, nae ii oppido peregrini in Critice ſunt; qui nec viderint, quam parum conſonet Hiſtoriae haec narratio; nec examinaverint quot ineptiis ſcateat decantatum illud *Edictum Donationis Conſtantinianae;* quod ad Eccleſiae Romanae dignitatem convellendam, confictum a Graecis fuiſſe credidit Baronius. (23)

XVI.

XVI. Rariſſimi numi aurei, quos Bandurius refert e Regio Muſeo Magni Etruriae Ducis, docent Pontificis Maximi titulum a CONSTANTINO geſtatum; cum in altero eorum (qui ad annum cccxv. pertinet) legatur (a) CONSTANTINVS P F AVG. *Imperator capite laureato*. ℞. *Figura ſedens, dextera globum, ſiniſtra ſceptrum* (b) P M TRIB P COS IIII P P PROCOS; in ima parte (c) P T R: In altero vero, qui ſpectat ad annum cccxx. legere ſit: IMP CONSTANTINVS MAX AVG. *Caput Conſtantini radiatum, ad pectus cum trabea*. ℞ *Imperator ſedens in ſella curuli, globum tenens & ſceptrum*: P M TRIB P COS VI PP PROCOS; in ima vero parte P T R; ut proinde credamus deceptos fuiſſe pleroſque eruditos Scriptores e recentioribus; ac praeſertim Gothofredum & Pagium, (24) qui Zoſimo mendacii, Baronio vero credulitatis dicam ſcripſerant; quod narraſſent, GRATIANVM primum omnium e Chriſtianis Imperatoribus, nomen & habitum Pontificis Maximi, cum ipſi pro more offerretur, averſatum fuiſſe. Geſtavit itaque CONSTANTINVS, Chriſtianus licet, titulum atque inſignia Ethnici Sacerdotii; eiuſque exemplum imitati ſunt Imperatores reliqui, uſque ad Gratianum; non repugnantibus Pontificibus Chriſtianis; ne ſuperſtitioſa auctoritas Maximi Pontificatus (quae ponderis, ac momenti graviſſimi erat apud Paganos, tum in civilibus rebus, tum in bellicis, tum etiam in religioſis ritibus permittendis, vetandiſve) ab Imperatoribus Chriſtianis reiecta, transferretur a Senatu in hominem alterum, Chriſtianae Reipublicae infenſum.

XVIII.

(a) *Conſtant. Pius Felix Auguſtus*. (b) *Pontifex Maximus, Tribunitia Poteſtate, Conſul quartum, Pater Patriae, Proconſul*. (c) *Percuſſa Treveris*.

XVII. In Synodo Nicaena Orationem ad Patres habitam a CONSTANTINO narrat Eusebius, eiusque brevem quamdam Synopsin refert. Hinc patet, eam aliam esse ab illa Oratione, quae tota libris Eusebianis de Vita Constantini subiungitur, diciturque habita item ad Sanctorum (*Patrum*) Coetum, scilicet Nicaenum: in alio namque argumento haec versatur. Genuinam hanc esse CONSTANTINI scriptionem credit Card. Bellarminus; in cuius sententiam pedibus imus, libentes, volentesque. Conversam illam Graece, e Latino sermone oportuit: latine namque Patres Imperator adlocutus est: verum, quis interpres fuerit, ignoratur: Neque enim ab Eusebio, ut ipsemet diserte innuit, in Graecum sermonem translata est. Alia ab hisce diversa Oratio, quam item in Concilio Nicaeno a CONSTANTINO habitam refert Gelasius Cyzicenus, in Historia eius Concilii; ex Historici ingenio ficta potius, quam revera a Constantino habita, Eruditis videtur: neque (ut arbitramur) iniuria. (25)

XVIII. Quos Codinus tradit characteres chronoligicos ex Astronomia, circa CONSTANTINOPOLEOS encenia, absurdissimos (cum Petavio) iudicamus. Cum, inter cetera, salvari nequeant, quae ait de fundamentis novae Vrbis, iactis τȣ̃ Σεπτεμβρίȣ μηνὸς, ἐν ἡμέρᾳ πετάρτῃ, ὄντος τȣ̃ Ἡλίȣ ἐις τὸ τȣ̃ τοξοτȣ ζώδιον; *Septembri mense, die quarta, Sole in Sagittarii signo existente.* Dedicatam itaque fuisse censemus a CONSTANTINO Vrbem suam, NOVAM ROMAM, celebratis encaeniis, anno Christi CCCXXX. Gallicano, & Symmacho Cos. Cyclo Solis III. Lunae VIII. Indictione III. litera dominicali D. V. Idus Maias, feria II. (26)

XIX.

XIX. Patri Iohanni Harduino in mentem venit dubitare, an unquam reſtauratum fuerit Byzantium ab ullo e tot illis ſuis Conſtantinis, an inditum Oppido illi fuerit CONSTANTINOPOLEOS nomen, ab ipſis temporibus, de quibus agimus. Tum ſpiritus ſumens, negat ullum exſtare monumentum graecum, latinumve, ſive in libris (quos omnes ferme ſuppoſitos putat) ſive in ſaxis (quae illi ſpuria ſunt) ſive demum in numis Byzantii cuſis, in quibus ea Vrbs per id ſaeculum CONSTANTINOPOLIS dicta fuerit. Muſſitat etiam ſecum, ſed ita ut audiri velit. CONSTANTINOPOLES dictas ab uno aliquo Conſtantino, Narbonem, Lugdunum, Treveros, Remos, aut alias fortaſſe e Gallicanis Vrbibus, ubi cuſa vult numiſmata, CONSTANTINOPOLIS nomen praeferentia: ea vero in quibus CON reperitur, aut CONS, CONST, CONOB, &c. quamvis ab Eruditis Byzantina iudicentur, negat Conſtantinopoli cuſa, ſed e Narbonenſibus, Lugdunenſibuſque ſuis, κονςαντινοπόλες prodiiſse narrans, docet legendos eos characteres, quaſi ſigla eſſent; 1. *Civitates Omnes Narbonenſes* : 2. *Civitates Omnes Narbonenſis Secundae*. 3. *Civitatum Omnium Narbonenſium Secundum Tributum*. 4. *Civitates Omnes Narbonenſes* OBtulere *&c.* Nihil ex his non reiicimus; (27) putantes haec omnia praeiudiciis Auctori illi peculiaribus potius, quam ſincerae Critices, aut prudentis Hiſtoriae regulis inniti.

XX. Aerarium Imperii largitionibus a CONSTANTINO exhauſtum; peſſimum item quemque ab eo in familiaritatem receptum; & amicorum pleroſque legibus graviſſimis ad quaeſtum abuti permiſſos, obiecere CONSTANTINO una cum Zoſimo, alii non iniqui Scriptores. Vtinam inficiari

K poſ-

possemus; neque in hac re, eorum probris merito fuisse laceratum, fateri cogeremur! (28)

XXI. Vtinam etiam inficiari possemus, deceptum eum fuisse ab Arianis Nicaenam Fidem simulantibus; & eorum calumniis adductum, ut minus aequa statueret in Sanctum Athanasium, aliosque orthodoxos Antistites; quos, non ut catholicos, sed ut dolosos, ac vix non ut perduelles, traduxerant homines iniquissimi. Debuit ille quidem non ita facile Sacerdotes inauditos damnare; verum, Theodoreto teste, quandoquidem secutus fuerat David deceptum a calumniatore Siba, emendavit etiam melius, quam David, erratum suum; iubens *Magnum Athanasium Alexandriam redire... idque praesente Eusebio, & , ne hoc fieret, magnopere dissuadente*.

XXII. Inficiamur autem, perfidiosum fuisse CONSTANTINVM, aut crudelem: quam adversus pium Principem calumniam fovere famosi versiculi; quos, dictante Ablavio Consule aedium Imperatoris postibus adfixos narrat Sidonius:

Saturni aurea saecla quis requirat?
Sunt haec gemmea; sed Neroniana.

Quod enim MAXIMIANVM Augustum socerum, laqueo; CRISPVM Nob. Caesarem filium, veneno (ut scripsit Sidonius); FAVSTAM conjugem, calefacto balneo; Fl. VALERIVM LICINIVM LICINIANVM, duodennem puerum, ac Nob. Caesarem, FLAVIAE VALERIAE CONSTANTIAE sororis suae filium, ferro sustulerit; fortunae tela putamus, non culpae. Quae autem de LICINIO seniore Augusto, & de MARCO MARTINIANO Tyranno Licinianae factionis, produntur; quos abdicato Imperio, vita pacta, & fide interposita relegatos, hunc quidem in Cappadociam, illum vero Thessalonicam, utrobique deinde

de iusserit CONSTANTINVS e medio tolli; penitus incerta sunt: Zosimo namque, aliisque eius aetatis Historicis inter se dissentientibus; nefas credimus adeo tetra nota Principis fortissimi, ac sanctissimi famam compungere. (29)

XXIII. Obiisse CONSTANTINVM, anno secundo Olympiadis CCLXXVIII. Consulibus Feliciano, & Titiano, A d. XI. Kal. Iunias, ipso Pentecostes die, e Scriptoribus antiquis consentientibus habemus. Inde ostendimus cum Petavio, eum mortuum esse, eo anno quo fuerit Cyclus Solis X. litera Domin. B, Cycl. Lunae XV. Indictio X. qui characteres in ann. vulgaris aerae CCCXXXVII. unice conveniunt. (30)

XXIV. Dolemus, scriptum fuisse ab Auctoribus nominis non vulgaris, CONSTANTINVM, Arianorum fraudibus circumclusum, in eorum complexu, atque communione decessisse. Iniuriosum namque hoc credimus non solum Principi maxime Catholico; sed & SS. Patribus, Athanasio, Hilario, Epiphanio, aliisque, qui longe aliter de CONSTANTINI obitu scripsere; totiusque Ecclesiae Grecae, quae eum inter Sanctos descripsit, eiusque memoriam recolit, una cum Matre eius HELENA, die XX. Maii; atque etiam Ecclesiae Latinae, quae templa sub S. CONSTANTINI nomine erigi permisit in Anglia, Sicilia, Calabria, Bohemia, Belgio, (31.) alibique. Quin, & *firmiorem habemus* de CONSTANTINI Augusti sanctitate *sermonem*: miraculis enim claruisse Sepulchrum eius, testatur antiquissimus Canon graecus, qui in Constantiniani festi Acoluthia canebatur, caniturq; facile apud Graecos; ut est apud Papebrochium, in Actis SS. Maii, ad diem XXI. (32)

XXV. P. Heribertum Rosweidum, attentum ce-

teroqui atque eruditum Scriptorem, ſequi non poſſumus; ubi docet ſepultum fuiſſe CONSTANTINVM apud Apoſtolorum Reliquias; in ea Aede, quam in eorum honorem exſtruxerat Cpli. (33) Nimium enim manifeſte in contrarium eſt auctor S. Iohan. Chryſoſt. qui eodem ſeculo ſcribens, quo Conſtantinus ſepultus fuerat; teſtatur, illum depoſitum in atrio Templi Apoſtolorum, ac prope eiuſdem limina.

XXVI. Et Eutropii auctoritas, & numi docent, CONSTANTINVM fuiſſe poſt mortem DIVI appellatione inſignitum, adeoque Apotheoſi aliqua conſecratum: non tamen credimus, ab Auguſtis filiis, qui iam inter Catechumenos nomen ſuum dederant, fuiſse adhibitas ſuperſtitioſas eas ceremonias, quibus Imperatores ceteros conſueverat Senatus Divos renuntiare. Opinamur autem id erui ex aereis numiſmatis moduli tertii; quorum unum ex Theſauro Brandeburgico, habet: DIVO CONSTANTINO. *Caput Conſtantini velatum ad humeros.* ℞ AETERNA PIETAS. *Figura militaris galeata, & paludata, ſtans; dextra haſtae innixa, ſiniſtra tenet globum, cui infixum nominis Chriſti monogramma.* Alterum vero (cuius & Euſebius meminit, de Vita Conſt. Lib. IV. 72.) relatum a Bandurio e Theſauro Regis Chriſtianiſſimi, habet (a) DV CONSTANTINVS PT AVGG *Caput Conſtantini velatum ad humeros.* ℞ ſine epigraphe. *Quadriga in aëre ſublimis a dextris, ſiniſtrorſum equis effuſis habenis currentibus; in qua Anima Conſtantini ſub figurae virilis velatae, ac togatae ſpecie, dexteram tendit ad manum ſibi coelitus porrectam. Stella in area numi ſuperiore.* In ima parte SMAN. (b)

ADNO-

(a) *Divus Conſtantinus Pater Auguſtorum.* (b) *Sacra Moneta Auguſti Noſtri.* Harduinus explicat, *Societas Mercatorum* A [*primae*] *Narbonenſis*: Mediobarbus, *Signata Moneta* ANtiochiae.



ADNOTATIONES
FRANCISCI ANT. ZACHARIAE
Societatis Iesv.

(1) PAr *Apostolis*. Quod cognomen, inquit Pagius *in Crit. ad ann.* 337. nI. ob propugnatem Christi Fidem illi merito delatum: quidquid dicat Scaliger *Lib.* 5. *de Emendat. Temp. pag.* 510. Scaligeri tamen reprehensionem instaurat Tillemontius *in Constant. Hist. artic.* LXXVIII. *Tom.* IV. *Hist. Impp. pag.* 271. *Venetae edit.* apertamque adulationem, laudisque exaggerationem non ita facile probandam in eo cognomine videtur sibi videre.

(2) Ea de re Anglos inter, Trevirenses, ac Drepanenses Bithyniae populos acerrime disputatur; Helenamque singuli suam esse dicunt. Iohannes Pinius V. CL. *Tom.* III. *Aug.* istorum argumenta ad examen vocat, ac tandem Drepanensibus caussam adiudicat, Procopii potissimum ductus auctoritate *Lib.* V. *Cap.* II. *de aedificiis Iustiniani*.

(3) Haec quidem Baronii sententia est *ad ann.* CCCVI. Pinius autem *citato nuper tertio Augusti tomo n.* 17. *ad* 27. eam videtur mihi plane evertisse, ut Lupium nostrum, si praestantissimum Hagiographi illius commentarium legisset, in alia omnia abiturum fuisse credam. Enimvero Eutropius, qui

Iuliano Apoftatae aequalis fuit, *Lib.* X. *Hift. ait*: *Conftantio mortuo*, *Conftantinus ex* OBSCVRIORE *matrimonio eius filius in Britannia creatus eft Imperator*. Quae Eutropii verba nae ille miferrime torquet, qui *obfcurius* heic dici Conftantii cum Helena matrimonium adfirmat, comparatum cum nuptiis, quas poftea cum Theodora Augufta celebravit. Nam (ut cetera mittam a Pinio diligenter animadverfa) Eutropium explicat, confirmatque Ambrofius, qui Helenam *Stabulariam* vocat, & perveruftus Anonymus ex Sirmundi fchedis a Valefio editus, cuius haec funt verba: *Conftantinus natus Helena matre* VILISSIMA *in oppido Naifo refertur*.

(4) Aliam heic a Baronio viam init Lupius, ut Ambrofii verba interpretetur, vimque ipforum defugiat; eam nempe, quam ingrefsus eft Michaël Alfortus in Britannicis Annalibus *ad ann.* CCLXXV. *num.* 44. At nimium a vero abeft ingeniofa ifthaec explicatio. Adi Pinium *num.* 24. Quid porro miramur, *ftabulariam* feminam a Conftantio ductam fuiffe? Protector is fuit; quae dignitas infima fuit earum, quas memoratu dignas veteranis militibus conferre mos erat. Nam & Gratianus, qui ignobili genere natus funariam exercuerat, poftea in militiam adfcitus, Protectoris dignitate ornatus eft, uti fcribit Ammianus Marcellinus *Lib.* XXX. Quamobrem quum Conftantius ex delato fibi munere itinerum cuftodiis praeeffet, ac publicorum equorum ftabula inviferet (nam has quoque Protectoris fuiffe partes, itinera cuftodire, difcimus ex tertia Codicis Theodofiani Lege *Lib.* I. *de Protectoribus*); fieri facile potuit, inquit Norifius *in Append. ad Donatift. Hift. Lect.* VII. *Tom.* IV. *Oper. col.* 647. ut ille Helenae ftabularii filiae pulchritudine captus cum eadem nuptias inierit.

(5) Di-

(5) Doctissimi quique idem sentiunt, ac Lupius, atque Helenam Constantii uxorem fuisse tradunt, non concubinam, Norisius *Lect.* VII. Tillemontius *in Adnotat. ad Hist. Constant. adnot.* I. *p* 613. ac Pinius *l. c. a n.* 28. ad 35. Ac praeter antiquos Scriptores, Eutropium (*L.* x.) Anonymum Valesianum, ubi de Constantio agit, Sextumque Aurelium Victorem Constantino συνχρόνον, vetustis quoque Inscriptionibus haec quidem sententia mirifice comprobatur. Gruterianum lapidem MLXXXVI. 2. in quo *Vxor Divi Constantii* Helena adpellatur, indicat Tillemontius; Norisius vero, Bandurius, ac Pinius describunt. Possum ego Muratorianum addere CCLXI. 1. Salerni exstantem, in quo non coniux modo Constantii Helena dicitur, sed *& castissima coniux*.

DOMINAE . NOSTRAE . FLAVIAE . AVGVSTAE
HELENAE . DIVI . CONSTANTI . CASTISSIMAE
CONIVGI . PROCREATRICI . D . N CONSTANTINI
MAXIMI . PIISSIMI . AC . VICTORIS . AVGVSTI
AVIAE . DOMINORVM . NOSTRORVM . FL.
CONSTANTINI . ET . CONSTANTI . BEATISSI
MORVM . AC . FELICIVM . CAESARVM
ALPINVS . MAGNVS . V . C . CORR . LVCANIAE
ET . BRITTIORVM . STATVIT . DEVOTVS . EXCELLEN
TIAE . PIETATIQVE . EIVS .

(6) Hanc, aliasque id genus caussas, unde Helena credita a nonnullis fuerit Constantii concubina, erudite de more perpendit magnus Norisius *col.* 648. *& seqq.*

(7) Quos heic indicat Lupius Graecos Scriptores, intellige Stephanum in libro de *Vrbibus*, Anonymum Valesianum, & Cedrenum. Horum aucto-

ritas in eamdem ſententiam pertraxit Noriſium *Lect.* VII. Pagium *in Critica ad ann.* 306. *num.* VIII. Tillemontium *in Hiſt. Conſtant adnot.* 3.

(8) Ceterum Livineius & Lipſius in ea fuere ſententia, ut crederent, Conſtantinum Tarſi Ciliciae urbe natum, corrupto Firmici Materni loco decepti *Lib.* I. *cap.* 4. in quo *apud Tarſum* legimus in editis libris. At Cambdenus duos Firmici manu exaratos codices reperit, quibus tertium adde a Rigaltio inſpectum, ubi *apud Naiſum* ſcriptum eſt.

(9) Vide Pagium *ad ann.* 306. *n.* VIII. ac Noriſium *l. c. col.* 643. Heinc alius Panegyriſtes in Oratione ad eundem Conſtantinum, Britannias laudans, ait: *o fortunata, & nunc omnibus beatior terris, quae Conſtantinum Caeſarem prima vidiſti.*

(10) Natus nimirum eſt Conſtantinus XXVII. Februarii. Ad annum quod adtinet nativitatis, mira Chronologorum diſſenſio eſt. Annum CCLXXII. adſignat Pagius, CCLXXIII. Vſserius, & Noriſius, CCLXXV. Alfortus. Tillemontio *artic.* IV. *in Hiſt. Conſtant.* placet, qui Lupio item placuit, annus CCLXXIV.

(11) Conſulendi hac ſuper re Pagius *ad ann.* 306. & Tillemontius *in Hiſt. Conſt. adnot.* IX.

(12) Adverſus paradoxam hance Harduini ſententiam pererudita Diſſertatio prodiit in Trevoltianis Ephemeridibus; nec paucis idem ingenioſi illius Antiquarii commentum refutavit Clariſs. Baro Bimardus in ſuis ad Nummariae rei Scientiam ab Ioberto noſtro traditam animadverſionibus *Tom.* I. *Inſtruct.* XII. *Sect.* IV. §. XXII.

(13) Alia in eamdem rem dabit Tillemontius *adnot.* V. *in Conſt Hiſt.*

(14) Suſpicatus eſt Tillemontius *Hiſt. Conſt artic.* XI. Minervinam paullo antequam Conſtantinus Flaviam

viam Maximianam Faustam matrimonio sibi coniungeret, occubuisse. Fortasse tamen (quod ipsemet indicat) ante Constantii obitum vita cessit Minervina, si vere Iulianus scripsit *Orat.* I. Constantium in hoc filii sui matrimonio firmando aliquid operae conlocasse.

(15) Impiis hisce Constantini criminatoribus adde Iohannem Hoornebeek professorem Leydensem *in examine bullae Vrbani* VIII. *de cultu imaginum a pag.* 181. quem pluribus refellit Norisius *lect.* VIII. *col.* 661. *& seq.* Vide & Baluzium *in notis ad L. Caecilii, seu Lactantii librum de mortibus persecutorum.*

(16) Ne ipse quidem Nicephoro fidem habuerim. Ab eo tamen non admodum abhorret Norisius *col.* 663. qui bis Crucem Constantino visam fuisse existimat, primum in Galliis antequam Secusio in Italiam irrueret Maxentium profligaturus; deinde prope Romam. Enim vero in Galliis Crucem adparuisse Magno Imperatori, Eusebius aperte indicat, qui in primo *de Constantini Vita* Libro visionem hanc refert; tum consilium ab Imperatore susceptum narrat, Maxentio tyranno bellum inferendi; ac tandem ait *edit. Paris.* 1581. *p.* 226. *cap.* XXXI. *Imperator Constantinus Dei auxilio nixus, primam, secundam, & tertiam tyranni aciem adoritur; & omnibus primo impetu perfacile subactis, universam prope Italorum peragrat regionem, adeo ut iam quam proxime Romam adventaret.* Quis enim non videat, si vera haec sunt, visionem istam sub initium Maxentiani belli statuendam esse, antequam Constantinus Alpes superaret, atque adeo Galliis excederet? At Lactantius, qui Crispo Constantini filio Magister in Gallia fuit, ut docet Hieronymus in Catalogo, aut certe vetustus quarti seculi scriptor, & omni fide dignus L. Cae-

ci-

cilius *in libro de mortibus persecutorum* rem aliter narrat. Reddo eius verba: *Dimicatum, & Maxentiani milites praevalebant; donec postea confirmato animo Constantinus, & ad utrumque paratus, copias omnes ad Vrbem* (Romam) *propius admovit; & e regione pontis Milvii consedit. Imminebat dies, quo Maxentius Imperium ceperat; qui est ad sextum Kalendas Novembris, & Quinquennalia terminabantur, Commonitus est in quiete Constantinus; ut coeleste signum Dei notaret in scutis, atque in praelium committeret. Fecit ut iussus est*: Heinc Norisius, utrique Scriptori, ut sua fides staret, hanc Eusebii, & Lactantii conciliandi rationem excogitavit, & aliam ab Eusebio, aliam a Lactantio visionem describi adseruit. Verum aliter sentiendum: Nam Eusebius postea quam Constantini visionem narravit, ait cap. xxv. *Isto igitur salutari signo Imperator tamquam hostilis cuiusque, & infestae violentiae propugnaculo semper usus est. Cuius expressae similitudines, mandavit, ut universum exercitum perpetuo antecederent*: *Capite vero* xxxi. Constantinum Alpes traiicientem, & in Italorum provincias invadentem describit his verbis: *Salutari signo tamquam victoriae tropaeo ante armatos suos, & satellites conlocato, cum toto exercitu procedit*. Fecerat igitur iam tum Constantinus, quod iussus fuerat. Quorsum ergo in castris prope Romae moenia *commonitus fuisset* (quod scribit Caecilius) *ut coeleste signum Dei notaret in scutis*? Vnam itaque, eamdemque visionem narrat uterque Historicus, qua recreatus Imperator, & de vexillo Crucis explicando commonitus, Maxentii exercitum felicibus auspiciis adgressus fuerit, fregeritque. Et mirum sane esset, Constantinum, ex cuius ore visionem adcepisse se testificatur Eusebius, secundam silen-

silentio praeteritutum fuisse, si contigisset, atque eam praesertim, quae supremum Maxentii excidium praenunciasset, atque adeo adtulisset. At, inquit Norisius, Labarum seu Vexillum Crucis signo ornatum in priori visione Christus Constantino ostendit; at vero ad urbem Romanam nulla oculorum visione praeeunte, solum in quiete admonitus fuit, ut Crucis signum, quod iam diu vexillis impresserat, etiam *notaret in scutis, atque ita praelium committeret*. Ita quidem ille, qui neglexisse non videtur inclyti Martyris, ac Ducis Aegyptii Arthemii verba apud Surium xx. *Octobris*. *Ad Christum autem declinavit* [haec de Constantino ad Iulianum apostatam Martyr egregius loquebatur] *ab illo vocatus, quando difficillimum commisit praelium adversus Maxentium* [ad urbem nempe Romanam]. *Tunc enim ei in meridie adparuit signum Crucis, radiis Solis splendidius, & literis aureis belli, significans victoriam. Nam nos quoque ipsi signum adspeximus: quum bello interessemus, & literas legimus. Quin etiam totus quoque id contemplatus est exercitus, & multi huius rei testes sunt in suo exercitu*. Etsi vero Acta isthaec dubiae fidei sunt, heinc tamen adfulget aliquid, unde cum Eusebio Lactantium concilies. Omisit nempe Lactantius meridianam visionem; sed revera nocturnam illa admonitionem praecessit; ut ovum ovo similius non sit, quam Eusebii narrationi Lactantii narratio. Quemadmodum autem Lactantius nihil de meridiana visione adtigit; ita silere potuit Eusebius, quod de Christi Monogrammate in scutis etiam notato scripsit idem Lactantius. Vtri igitur fidem habebimus? Eusebio ne? an Lactantio? Lactantio, qui in Galliis, quum Crispum Constantini filium docuerit, visionem in Galliis habitam, si qua fuisset, ignorare

non

non potuit, fidem habendam potius existimat Baluzius [ad eum Caecilii locum,] & Pagius [*ad ann.* 312. *num.* IV.] At Eusebius ex Constantino ait narrationem suam intellexisse; nisi ergo quis velit Eusebium hallucinatum fuisse, remque aliter percepisse, atque a Constantino dicebatur, aut etiam loci sibi ab Imperatore indicati, dum scriberet, oblitum, rem sibi esse visum, ut nobis narravit, intellexisse, non video, quei vim eius testimonii possimus defugere. Neque vero moror acta Arthemii, quae inter & Lactantium convenit, multis nominibus suspectae fidei. Sunt, qui ut in Galliis visam Constantino Crucem confirment, Prudentium obiiciunt, Norisius, & Rever. F. Augustinus Orsi; canit nempe ille *Lib.* I. contra Symmachum:

Agnoscas regina libens mea signa necesse est,
In quibus effigies Crucis, aut gemmata refulget,
Aut longis solido ex auro praefertur in hastis:
Hoc signo invictus, transmissis Alpibus ultor
Servitium solvit miserabile Constantinus.

Quid vero haec ad rem? Aitne Prudentius hoc signo transmissas Alpes a Constantino? Minime vero: ait, illum transmissis Alpibus, invictum hoc signo ultorem servitium solvisse miserabile. Id ne probat, Crucis signum ante visum Constantino, quam Alpes transmitteret? Fac, Imperatori ostensam Crucem fuisse in castris ad urbem Romanam: falso ne cecinisset Prudentius, Crucis praesidio Constantinum victoriam obtinuisse? Singulares Belgarum, & Gallorum traditiones omitto nullis veteribus monumentis fultas, atque ita inter se contrarias, ut omnino quatuor egregii pugiles Aegidius Bucherius, Aegidius Gelenius, Iohannes Morinus, & Petrus Franciscus Chiffletius in peculiari Dissertatione *de loco, tempore, & ceteris adiunctis conversionis*

ma-

magni Constantini ad fidem Parisiis, ann. MDCLXXVI. in lucem emissa, pro totidem Belgii, & Galliarum locis dimicent, singulis singuli quidquid in ea Constantini visione est gloriae, vindicaturi. Tillemontius [*adnot.* XXIX. *in Constant. Hist.*] in Gallis quidem ostensam ait fuisse Constantino Crucem; de loco, autem nihil audet definire; adeo incertis, ac suspectae fidei tabulis Vesontionensium, & ceterorum caussa nititur. Statuamus igitur, semel tantum Crucem Constantino adparuisse in Gallis antequam Alpes transmitteret, anno CCCXI. quo bellum coepit contra Maxentium, Pagio auctore ad ann. CCCXII. num. III. *De veritate Crucis a Constantino visae confirmata ex antiquis nummis* Claudii Molineti disputationem proferunt Ephemerides Parisienses ann. 1681.

(17) Cave tamen putes, ipso, quo Maxentium Constantinus devicit, anno CCCXII. positum fuisse victori arcum triumphalem. Norisius enim *in Dissertatione de Numismate Licinii Augusti Cap.* III. animadvertit, insignem illum arcum in ipsis Constantini decennalibus erectum fuisse; quod vota decennalia soluta, & vicennalia nuncupata, quae in Inscriptione adnotantur, indicant manifeste. Quamobrem quum Constantinus quadriennio post relatam de Maxentio victoriam decennalia ediderit, ut Pagius ostendit, anno tantum CCCXVI. arcus ille fuit a Romanis constructus.

(18) Multa de Labaro, deque Christi Monogrammate disputat doctus Aquileiensis Canonicus Iohannes Dominicus Bertolus *Diss.* VII. *inter Monumenta Societatis Columbariae Florentinae Volum.* I. Ego quoque paucis ab heinc annis *in Paralipomenis ad tumulum S. Clementis Viri Consularis a P. Edwardo de Vitry inlustratum*, nonnulla de eodem Monogrammate

mate adtigi, eosque falli ostendi, qui illo Christianos ante visam a Constantino Crucem docent usos fuisse, paratus de sententia discedere, siquod legitimum monumentum anno cccxii. certo vetustius prodeat, cui illud cum fuerit inscriptum.

(19) Norisium *Lect.* viii. *a col.* 656. Tillemontium *Adnot.* lxv. *in Hist. Constant.* atque Vrsium *in Hist. Eccl. Tom.* V.

(20) Demus hoc Lupio nostro in ea regione scribenti, quae Baronii nomen, sententiasque adhuc plus aequo veretur proque popularibus traditionibus in dies libros emittit. Neque mirandum est, Lupium apud Siculos hasce Theses proponentem ita sensisse, quum etiam Bianchinus Praesul doctissimus in suis ad Anastasium adnotationibus Romae excusis pro Romano Constantini Baptismo veluti pro aris focisque pugnaverit. Mitto Matthiam Furmannum Austriacum, qui *in Hist. Sacra de Baptismo Constantini Romae* 1742. edita eumdem omni, quo potuit argumentorum genere, tuitus est. Ceterum siquid in Historia Ecclesiastica compertum habemus, exploratumque, illud est, Constantinum non ab Eusebio Nicomediensi quidem Arriano Episcopo, (quod falso rumore deceptus scripsit Hieronymus in Chronico, aut potius Eusebius Caesariensis, Graecus illius Chronici scriptor, ut Arrianis suis adsentaretur) sed a Catholico Praesule, ut Photius scribit, Nicomediae sub vitae suae exitum sacro latice ablutum fuisse. Neque illud verum est, quod indicat Lupius, communi nos apud Occidentales sententiae adversari. Occidentalibus sane adcensendus Hieronymus Stridonensis, diuque sub Damaso, cui ab epistolis fuit, Romae versatus, & Ambrosius Mediolanensium Episcopus, civisque Romanus, quorum alter scripsit in Chro-

nico ;

nico: *Constantinus extremo vitae suae tempore ab Eusebio Nicomediensi baptizatus est;* alter in funebri Theodosii Imperatoris Laudatione dicere veritus non est de Constantino: *cui licet in ultimis constituto baptismi gratia omnia peccata dimiserit*. Imo vero eorum aetate Occidentales pro Nicomediensi Constantini baptismate stetisse dicendi sunt; neque enim si secus isti sensissent, Hieronymum, atque Ambrosium credibile est id ignorasse, aut nihil gravissima eorum auctoritate ductos in Orientalium sententiam abiisse. At quoniam de Constantini Baptismo pauca diximus; altera oritur quaestio, num primus is Imperator Christianis sit adcensendus. Sunt enim qui secus sentiant, & Philippos saltem Christianos fuisse arbitrentur. Qua de re vide Scriptores a Fabricio laudatos in libro, cui titulus: *Salutaris lux Evangelii pagin.* 236. Cuperi & Sperlingii epistolas Tom. IV. Polemani supplementi; & Clarissimum Thomam Vincentium Moneliam *in Dissertatione de Religione utriusque Philippi*, cui omnino adsentior, dum quae doctissimum P. Salas pro Christiana Philipporum Religione pugnantem in suis ad Bonam adnotationibus nuper protulisse intellexi, videre liceat, atque perpendere. De Apamensium nummo, qui in hac disputatione adferri solet, vide Maffeium Tom. VI. O. L. *pag.* 294.

(21) Huc pertinent, quae tradit Iobertus, ac Bimardus, ille in scientia rei nummariae *Tom.* II. *Instruct.* XII. *sect.* IV. §. XXIII. hic in animadversionibus ad eumdem Ioberti locum.

(22) His nuper adcessit Rever. Fr. Augustinus Vrsius *Tom.* V. *Hist. Eccles. Lib.* XII. *pag.* 90.

(23) Digna in hanc rem lectu est Papebrochii Dissertatio *in Propyleo Maii*. Pagius paucis multa

ad-

adtingit *ad ann.* 324. XIII. atque in his ex Petro de Marca monet, donationem illam neque a Graeco homine confictam, quum Constantinopolitanae Sedi ultimus in eo monumento locus tribuatur; neque post millesimum a Christo nato annum, quum ab Hadriani Carolique Magni aevo nota iam fuerit.

(24) Pagium exscribit heic Tillemontius *in Const. Hist. adn.* XXXIV. Sensit idem Harduinus, cui non adversatur Iobertus *Scient. Numm. Instruct.* VI. Contra Cl. Bimardus *in hunc Ioberti locum pag.* 267. ex Constantini numis Lupii nostri sententiam probat. Fortasse & Inscriptionibus suaderi idem posset. Nolim tamen, quemquam Inscriptionem adferre Iustinopoli in Istra insculptam, quam ex Antonio Van-Dale recitat Pagius *ad ann.* 312. *n.* XVIII. Nam ea spuria omnino est; quod singulari Dissertatione pridem ostendit Clariss. Philippus a Turre Adriensis Episcopus, & P. D. Iohannes Antonius Vrsatus in Notis ad Equitis Sertorii Vrsati marmora erudita.

(25) In Orationem hanc a Gelasio Cyziceno descriptam inquirit Tillemontius *Tom.* VI. *Monum. Ecclesiast. in Conc. Nicaen. adnot.* VII. Idem Tillemontius *in Hist. Const. artic.* XC. cetera Constantini scripta recenset, quod & fuse praestitit Guilielmus Caveus *in Hist. Litter.*

(26) Vide quae pro hac sententia scribit Norisius *lect.* IX. *col.* 668. Quo autem anno condita haec Vrbs a Constantino fuerit, disputat Tillemontius *adnot.* LX. *in Hist. Const.* qui etiam caeremonias, & reliqua, quae ad illius amplitudinem, atque aedificia pertinent, erudite persequitur *ab artic.* LXIV. *ad* LXVIII.

(27) Ceterum antequam Byzantium instauraret Con-

Constantinus, duabus illum Vrbibus *Constantinarum* nomen imposuisse constat; alteri in Numidia, cui ante devictum Maxentium *Cirra* nomen fuit; atteri in Galliis, quae *Arelate* dicebatur. Ac de Arelatensi urbe testes habemus Patres Arelatensis Provinciae *in libello supplici ad Leonem Magnum, post epistolam* cvii. & Honorii constitutionem ad Iulium Agricolam Praefectum Praetorio Galliarum a P. Constantio *Tom.* I. *epist. Rom. Pontif.* descriptum *pag.* 977.

(28) De his aliisque Constantini criminationibus videndus Tillemontius *in Hist. Const. ab artic.* LXXIX. *ad* LXXXII.

(29) Pagius quoque crudelitatis notam a Constantino depellit *ad ann.* 324 x. Sed Tillemontius *in Hist. Const. artic.* LXII vix parem se esse ait Constantino in his caedibus excusando. Quo ista anno contigerint, quove mortis genere sublatus fuerit Crispus, habes apud eundem Tillemontium *in Hist. Const. adnot.* 53. 54. *&* 55. cui adde Pagium *ad ann.* 324. *num.* III. Baronius *ad ann.* 321. aliam Constantino notam inurit ferme apostasis, eumque in deterius prolapsum ait, quod edictum pro Haruspicina emiserit. Sed virum longe doctissimum Constantino iniurium hac in re fuisse docent Pagius *ad eum ann. n.* IV. Norisius *lect.* VIII. *col.* 654. *& seq.* ac Tillemontius *artic.* XLIII. Quanto Haruspices studio insectatus fuerit optimus princeps, duae eiusdem leges probant anno CCCXIX. contra eos latae. Quum vero non posset, eam superstitionem, quae tam alte radices in Romanorum animis egerat, momento evellere, eamdem privatis domibus exclusit; at publice tamen exerceri permisit, ubi minorem periculo peragi poterant illa praesagia. Quod autem narrat Zosimus *Lib.* II. Constantinum


duo Templa erexiſſe Conſtantinopoli, Fortunae, & Cybeli, falſum eſt, & vel plane commentitium, vel certe exaggeratum. Vide Tillemontium *Adnot.* LIX.

(30) Philoſtorgius neſcio quae comminiſcitur de Conſtantini teſtamentariis tabulis. Fallitur etiam Ruſinus *Lib.* X. *c.* II. ſcribens, Conſtantini mortem ab eius Eunuchis celatam fuiſſe, dum Conſtantinopolim adcederet Conſtantius. Vtrumque Scriptorem confutat Tillemontius *Adnot.* LXVI. *&* LXVII.

(31) Heinc mirum non eſt, Vſuardi Auctariis Bruxellenſi, & Hagenoyenſi apud Sollerium ad XXI. & XXII. Maii diem, inſcriptam eſſe Sanctiſſimi Imperatoris memoriam.

(32) Mentitur tamen ſuo more criminator peſſimus Philoſtorgius *Lib.* II. *c.* XVII. dum Chriſtianos adcuſat, *quod imaginem Conſtantini in porphyretica columna ſtantem ſacrificiis placarent.* Conſuleſis Pagium *ad ann. Chriſt.* 337. *n.* III.

(33) Hunc eumdem doctiſſimi Roſweydi errorem notavit vir inſigni eruditione Saxius in Diſſertatione, quam ad vindicanda Mediolano Sanctorum Gervaſii, & Protaſii corpora edidit, *pag.* 109.



AP-

APPENDIX
FRANCISCI ANT. ZACHARIAE
DE
Legibus pro Christiana Religione a Constantino editis; deque novis ab eodem inductis dignitatibus, ac moribus.

I. NOn dimittendus Constantinus quin aliqua de legibus pro Christiana Religione latis, ac de novis, quos ipse induxit, moribus exponamus. Baronius *ad ann.* CCCXIII. aliique viri doctissimi primum pro Christianis Imperatoris piissimi edictum statuunt anno CCCXIII. Mediolani datum fuisse. Verum hoc secundum fuit. *Imperator Constantinus*, inquit Eusebius *L.* IX. *c.* IX. *& Collega eius Licinius*, *uno consensu legem pro Christianis absolutissimam, & copiosissimam promulgarunt, partaeque de Tyranno* (Maxentio) *victoriae nuntium, ipsamque adeo legem ad Maximinum, qui in Orientis partibus etiam tum imperabat, seque ipsis amicum esse simulabat, transmisere*. Datum igitur est hoc edictum ipso victoriae anno, CCCXII. nempe, atque (quod longe verosimillimum) Romae. Qua in re Valesius in notis ad alterum edictum Mediolanense, & Pagius *ad ann.* CCCXVI. *num.* VIII. nobis praeivere. Celeberrima autem constitutio, quam ex Eusebio *in Vita Const.* Lib. II. Cap. 25. recitat Baronius *ad ann.* CCCXVIII. non eo anno CCCXVIII. edita est, ut Eminentissimus ille Annalium parens existimavit; neque anno CCCXXIII. quo eam describit Tillemontius *art.* LII. Nam non solum post victoriam de Licinio relatam illam emisit Constantinus; sed etiam post illius obitum. Indicat id aperte Euse-

 bius

bius, qui edictum hocce post narratam Licinii mortem refert, eique quasi praefatur in hunc modum: *Postquam autem omnes gentes Dei patris virtute Imperatori subiectae fuerunt*. Bellum autem adversus Licinium non ante exarsit, quam Gothi in Thraciam, & Moesiam invaderent; invaserunt autem Februario mense anni CCCXXIII. vid. Tillem. *in Hist. Const. annot* XLIV. & Pagium *ad ann.* CCCXVIII. *n.* II. *& seqq.* Porro Licinius interfectus est apud Thessalonicam anno CCCXXV. ut ostendit Pagius ibid. *num.* VII. vel certe ante XVI. Maii CCCXXIV. ut visum est Tillemontio *in Hist. Constant. artic.* I. Itaque illa Constitutio ad annum spectat CCCXXIV. aut etiam sequentem. Quamobrem ante hanc prodiit Constitutio *de Episcopis Cod. Theod. Lib.* V. qua cavetur, ne Christiani ad Lustrorum sacrificia compellerentur. Nam illa anno 323. emissa est. Non putamus autem, persequutionem ullam in Christianos excitatam huius legis sanciendae caussam praebuisse Constantino. Disputat hac de re contra Baronium Pagius *ad ann.* 323. *num.* IV.

II. Ad leges pro Christiana Religione editas non iniuria referendae eae sunt, quas in eiusdem adversarios latas fuisse novimus. Huc autem cumprimis spectant duae illae, quas Eusebius commemorat in *Vita Const. Lib.* II. *cap.* 44. *Altera, quae vetuit detestabilia idololatriae scelera, quae iam olim in quaque Civitate, & Regione fieri consuevissent*: & ne *quisquam vel statuas erigere, vel curiosas & supervacaneas divinationes moliri, vel denique sacrificare auderet: altera, qua iussit templa exaedificari etc.* Vtraque haec lex anno CCCXXIV. aut melius CCCXXV. nobis videtur edita. Nec omittenda *Lib.* I. *Cod. Theod. de Haereticis*, qua privilegia Clericis concessa ad Catholicos tantum pertinere

de-

declaravit Imperator, non vero ad haereticos, Arrianos nempe, ac Meletianos; ut hi vel heinc arguantur mendacii, dum iactant apud Epiphanium *haer.* LXVIII. Constantinum post Nicaenum Concilium Arrii blasphemiis favisse, ipsisque in coetum separatim conveniendi facultatem amplissimam esse elargitum. Novatianos quoque perculit Constantinus *lege* II. *Cod. Theod.* quae eodem, quo prior illa contra Arrianos Meletianosque, edita est anno, anno inquam XXVI. supra CCC. Iudaeis tandem infensum sese ostendit idem Imperator lege quincta *Codicis Theod.* quae quidem lata est XXII. Novembris anno CCCXXXV. promulgata vero fuit Carthagine VIII. Maii sequentis anni CCCXXXVI. Mirum est, Baronium legi huic ceteroqui clarissimae contrarium plane sensum adfingere, quasi pro Iudaeis contra Christianos edita fuerit; sed errasse hac in re virum de Ecclesiastica historica optime meritum inficiari quis possit? post ea, quae adnotarunt Pagius *ad eum ann.* 336. *num.* XII. & Tillemontius *in Hist. Const. artic.* LXXV.

III. Progredimur ad immunitates Clericis, atque Ecclesiis a piissimo Principe liberaliter concessas. Etsi autem nulla lex hodie exstat, qua Constantinus Clericos *a censu*, ut aiunt *personarum* absolverit; verosimillimum nobis est, hac immunitate fuisse Clericos ab Imperatore donatos. De illa vero immunitate, quam vocant a *censu agrorum*, cum Gothofredo, a quo non admodum abhorret Binghamus *Orig. Eccles. Lib.* V. *cap.* 3. §. 3. legem illam Constantinianam interpretamur *L.* I. *Cod. Theod. Lib.* XI. *Tit.* I. *de annon. & tribut.* Clariores sunt, ac multo plures Constantini sanctiones de Clericorum immunitate ab omnibus omnino communibus, & civilibus rerum publicarum ministeriis.

Extat nempe ea de re Imperatoris ſanctiſſimi reſcriptum ad Anulinum Africae Proconſulem apud Euſebium, *Lib.* X. *hiſt. c.* VII. Miſſum eſt autem Reſcriptum eiuſmodi ad Anulinum anno CCCXIII. circa menſem Aprilem; quod contra Baronium oſtendit Pagius *ad illum annum num.* V. Tum extremo iam die Octobris eiuſdem anni *L.* I. *Cod. Th. de Epiſcopis* eamdem illam Clericorum immunitatem adſeruit Conſtantinus adverſus Donatiſtarum machinationes: deinde etiam anno CCCXIX. & CCCXXX. innovavit. Cavit tamen ſub anni CCCXIX. finem aut initium ſequentis, lege, quae periit, *ne ullus deinceps Decurio, vel ex Decurione progenitus, vel etiam inſtructus idoneis facultatibus, atque obeundis publicis muneribus opportunus, ad Clericorum nomen obſequiumque confugeret; ſed ii de cetero in defunctorum dumtaxat Clericorum loca ſubrogarentur, qui fortuna tenues, neque muneribus civilibus tenerentur obſtricti*. Quum autem huiuſce Conſtitutionis obtentu male cum illis quoque ageretur, qui ante quam ea fuiſſet edita, in Clericorum ordinem cooptati fuerant, praecepit Imperator ipſo illo anno CCCXX. *L.* 3. *Cod. Th. de Epiſcopis*, *his ab omni moleſtia liberatis, illos qui poſt legem latam obſequia publica declinantes ad Clericorum numerum confugerunt, procul ab eo corpore ſegregatos Curiae ordinibuſque reſtitui, & civilibus obſequiis inſervire*. Quantum porro detulerit reverentiae Conſtantinus Epiſcoporum ſententiis, manifeſte intelligimus ex Reſcripto anni CCCXIII. *de Epiſc. iudic. L.* I. *Cod. Theod.* ad Ablavium Praefectum Praetorio, quod eo anno reddit Baronius. Summa eius eſt, non in iis tantum, quae ad eccleſiaſticas controverſias ſpectant, ſed in civilibus quoque diſceptationibus, cauſſiſque ſecularibus, ſtandum omnino eſſe Epiſcoporum iudiciis. IV.

IV Nondum finis legum, quibus pius hic Imperator suam erga Christianam Ecclesiam voluntatem luculenter demonstravit. Nam & anno cccxx. Papiam legem, quae coelibatui maxime adversabatur, abrogavit: & anno sequentem constituit, ut integrum cuique morienti esset, Ecclesiis bona sua legare. Legem autem, qua *supplicium Crucis a Romanis olim decretum maleficis sustulit*, ut ait Sozomenus *Lib.* I. *c.* 8. putamus ad annum cccxv. referendam esse, non vero ad annum cccxxv. quo illius Baronius meminit. Multa etiam de Festis instituit, digna sane piissimo Principe. In his legem emisit de feriando die Dominico in civilibus, exceptis Rusticorum operis. Heinc autem nemo occasionem adripiat suspicandi, ante Constantinum nullo in honore fuisse diem illum apud Christianos. Nam vetustissimum esse, & ab ipso Apostolorum aevo repetendum eius diei cultum, probant, quae magno eruditionis adparatu in hanc rem congerunt Baronius *ad ann.* LVIII. Bellarminus *Lib.* III. *de cultu Sanctorum cap.* XI. ac Franciscus de Berlendis in latina Dissertatione *de oblationibus ad altare* §. 4. *num.* II. *p.* 91. *& seq.* Quod autem in eo edicto Constantinus Ethnicorum phrasi Dominicum diem *diem solis* adpellet, putavit Baronius inde factum, quod non Christianis solum, sed etiam Gentilibus eamdem legem tulerit. Id tamen pie magis, quam vere dictum a doctissimo Annalium Ecclesiasticorum parente ostendit Lupius noster in ea, quam de *Epitaphio S. Severae* Panormi edidit, celeberrima Dissertatione §. XII. *a pag.* 100. ubi veterum testimoniis, atque adeo Lapidum Christianorum exemplis exquisitissimis probat, ἀδιάφορον fuisse eo seculo, & iis, quae consequuta sunt, etiam apud Christianos, usum nominum, quae Ethnici invenerant

rant ad menses pariter diesque indigitandos, etiam ubi solis fidelibus scriberetur. Adde ego Scriptoribus a Lupio citatis antiquiorem Tertullianum, qui *Apolog. cap.* XVI. ait, *si diem Solis indulgemus, alia longe ratione, quam religione Solis*. Diem quoque Sabbathi peculiari honore colendum edixit Imperator noster; quidquid secus senserit Valesius a Tillemontio confutatus *in Hist Constt. Adnot.* XLI. Num autem ut etiam dies Veneris in honore haberetur, constituerit Constantinus (quod ex Sozomeno docet Baronius, idemque Valesius) si quaeras, negabo cum Tillemontio *Adnot.* XLII.

V. De Copiatis nunc agimus, quos a Constantino institutos primum fuisse Constantinopoli anno CCCXXX. credimus cum Tillemontio *in Hist. Const. artic.* LXV. & Binghamo *Orig. Eccl. Lib.* III. *cap.* VIII. §. II. Nam Iustinianus *Nov.* 43. ait, *divae memoriae Constantinum, amplae huius nostrae Vrbis* (Constantinopolis) *conditorem, Lecticariorum, seu Decanorum* (iidem hi sunt, qui Copiatae, ut mox dicam) *numerum ad certam mensuram redegisse*. Porro quum nulla ante Constantinum Copiatarum mentio fiat (nam quae sub Ignatii Martyris nomine circumfertur epistola ad Antiochenos, in qua Copiatas legimus, dudum a viris emunctae naris explosa fuit tamquam apocrypha); illos non iniuria arbitramur a Constantino institutos, & certo numero definitos. Frustra quis obiiceret illud Tertulliani in *lib.* ad Scapulam *cap.* III. *Areae non sint*, Coemeteria nempe, aliave Scriptorum veterum loca, in quibus ante Constantinum Coemeteriorum Christianorum mentio. Nam Christianos ante hunc Imperatorem tumulatos fuisse, insanus sit, qui neget. Quod heic quaerimus, illud est, num pium hoc munus ante illa tempora ad singularem hominum classem spectarit,

ctarit, quibus Copiatarum, aut *Fossariorum* nomen. Id autem unde ex locis illis prudens homo extundere velit, equidem non video. At Canonicus Agnellus Honoratus *Diss.* VII. *suarum Dissertat. Lucae, seu potius Neapoli edit.* 1737. *pag.* 189. a Constantio mavult eorum initia sumere: quo vero argumento? Nam, inquit ille, Constantius *L.* 15. *de Epist. ut Cl. Cod. Theod.* ait, *Clerici, & hi, quos Copiatas recens usus instituit nominari.* Ego vero recentem illum usum, de quo Constantius, non tam ad officium spectare arbitror, quam ad *Copiatarum* nomen. Constantinus enim videtur *Lecticariorum*, seu *Decanorum* nomen illis indidisse. Fac tamen de officio loquutum Constantium: annum inter CCCXXX. quo diximus, Copiatas a Constantino inductos, & annum CCCLVII. quo isthaec scribebat Constantius; non illud sane annorum intervallum intercesserat, ut *recens* non potuerit Constantius idem eorum institutum appellare. Constantinopoli autem in alias Christiani Imperii provincias Copiatae statim introducti. Nam & in Galliis fuere sub Honorio, & eos Romae ipsa illa Constantii lex nobis proponit. Ad eorum munus quod adtinet, ipsum illud fuit, quod apud Ethnicos Vesparum, & Vespillonum, *qui corporibus funerandis officium gerebant*, ut cum Festo loquar de *funeribus Roman. cap.* VIII. Heinc vero multis adpellati nominibus, quae idem exprimunt. *Copiatae* dicti a Graeco *κόπος* & *κοπιᾶσθαι*, quasi *operarii* & *laboratores*; quare a nonnullis *Laborantes* quoq; adpellantur. *Lecticarii* etiam vocati ab efferendis funeribus. *Fossores* autem & *Fossarii* usitatiore apud Latinos vocabulo, quod, ut ad Innocentium scribebat Hieronymus *de muliere septies icta epist.* XLIX. id ipsis officii esset, cadavera linteo obvolvere, & fossas construere, ac tumulos parare. Fossoris iconem

nem exhibet Boldettus *Osserv. sopra i Cimit. Lib.* I. *cap.* xv. ubi & Inscriptiones aliquot recitat Fossorum: quibus hanc adde Romae superiore Maio erutam, mihique missam a Clariss. Equite Hannibale de Abbatibus Oliverio:

FELIX FOSSOR POSVIT
SIBI ET COIVGI SV
AE STRATONICIN. (*)
IN PACE

Iam vero quot numero Constantinopoli fuerint a Constantino Copiatae hi constituti, docet Iustinianus *Nov.* 59. nongenti scilicet, & quinquaginta. Quamobrem, quod Binghamus adfirmat, *homines mille & centum* ad hoc speculiare ministerium destinatos fuisse a Constantino, ex Novella 43. sumptum est, ubi dicitur: *quia tam divae memoriae Constantinus amplae huius nostrae urbis conditor, quam etiam pientissimus princeps Anastasius, Lecticariorum, seu Decanorum (ut vocat) numerum ad certam mensuram redegerunt, mille, & centum tantummodo Decanis, totidemque officinis.* At non animadvertit Binghamus, non de solo Constantino ibi sermonem esse, sed etiam de Anastasio. Itaque Novella 43. cum 59. conferenda fuerat, ubi haec reperimus: *Constantino enim piae memoriae nongentis quinquaginta* (*octoginta* legit *Novellarum* editio Francofurtensis ann. MDLXXXVII. sed manifesto errore; quum Novella citata 43. Lecticariorum numerus *mille & centum tantummodo* hominibus definiatur) *ergasteriis ... Anastasio vero piae memoriae non solum ergasteriis illis quinquaginta & centum adiiciente etc.*

Ita-

(*) *Stratonicæni.*

Itaque Constantinus nongentos quinquaginta Lecticarios statuit; quibus si addas centum & quinquaginta ab Anastasio adiectos, mille, & centum habebis, quos memorat Novella 43. Hi porro Lecticarii, seu Copiatae Constantinopoli corpus quoddam constituebant, quod Latino vocabulo *Collegium* dicimus; unde & illi *Collegiati* in citatis legibus adpellantur. Non est autem huius loci quaestio illa, num *Fossores* eiusmodi, & Copiatae peculiarem Clericorum ordinem efficerent? Negamus tamen cum Tournely *de Ordine quaest.* vi. *concl.* ii. & si quando a veteribus, ut ab Epiphanio *in Exposit. Fidei num.* xxi. & a Pseudo-Hieronymo *in Tract. de* vii. *Ordinib. Eccl.* Fossariorum, & Copiatarum ordo memoratur, dicimus *improprie Ordinem* heic adpellari eorum ministerium. Nam Hieronymus in citata ad Innocentium epistola xlix. ait: *Clerici, quibus id officii erat, cruentum linteo cadaver obvolvunt*. Imo vero neque Clericos fuisse germana illa, atque propria Clerici significatione, qua hominem intelligimus ecclesiastico aliquo ordine insignitum, ac Deo devotum, multa sunt, quae mihi persuadent. Nam Constantius *Lib.* xv. de Episcopis, Clericos a Copiatis distinguit his verbis: *Clerici*, vel *hi, quos Copiatas recens usus instituit nuncupari*. Praeterea Legum civilium dispositioni plane subiecti erant; nam ab Imperatoribus instituti fuerunt, numero aucti, ac tandem subiati. Itaque eo sensu *Clericos* putaverim dictos fuisse, quo nos Itali hodieque *Monachum* aliquibus in provinciis vocamus hominem etsi secularem, & matrimonio iunctum, qui vel aedituus est, vel certe aedituum iuvat. Non negaverim tamen, in Ecclesiis quibusdam ad Clericos Fossorum munus pertinuisse. Nam, praeter Hie-

Hieronymi testimonium nuper recitatum, incertique inter eiusdem Hieronymi opera Scriptoris locum antea indicatum, quis Clericos non agnoscat Fossores illos, quorum sit mentio in Actis purgationis Caecilani, & Felicis T. I. *Conc. Labb. edit.* p. 1444.? *Sedente Paullo Episcopo, & Montano, Victore, Deusatelio, & Memorio Paesbyteris; adstante Marte cum Helio Diacono; Marcuclio, Catullino, Silvano, & Carolo Subdiaconis; Ianuario, Meraclo, Fructuoso, Migione, Saturnino, Victore, & ceteris Fossoribus etc.* Hi autem Clerici erant minore aliquo Ordine initiati, quibus praeterea munus, seu ministerium sepeliendi cadavera incumbebat. Sed ad civilia Constantini instituta transeamus.

VI. Atque ad indictiones quod spectat, quae a Constantino initium habuere, Cl. Marchionis Maffeii sententiam omnino sequimur T. I. *Veronae Illustr. L.* VII. *col. m.* 191. *& seqq.* Itaque illarum epocham repetimus a capta per Constantinum Verona, atque adeo a Kalendis Septembris anni CCCXII. quo haec notatur in Chronico Alexandrino Raderi, quod aliis Paschale dicitur: *Indictionum Constantinianarum heic sumitur exordium.* Originem vero caussamque istarum indictionum putamus esse gravissimas illas pensiones Italiae Cisalpinae ad alendos exercitus a Diocletiano, atque Maximiano constitutas, quas post Veronensem victoriam censuit Constantinus remittendas esse, ac novis moderatisque in singula quindecennia tributorum indictionibus restituendas, Ballerinii fratres ad caput quinctum primae partis Historiae Donatistarum a Norisio concinnatae digressionem habent *de Indictionibus*, quae nostram hance opinionem confirmant.

VII.

VII. Magiſtros militiae duos, qoorum unus peditatui, equitatui alter praeſſet, a Conſtantino primum inſtitutos fuiſſe, narrat Zoſimus. Sed fidem huic libenter denegamus, ut Lactantio adſentiamur, qui de *mortibus perſecutorum c.* 7. Diocletianum horum Magiſtrorum auctorem videtur perhibere. Exſtat quidem Modeſti cuiuſdam libellus *de vocabulis rei militaris* ad Tacitum Auguſtum, in eoque Magiſtri militiae memorantur; ſed etſi aliter viſum Barthio *Lib.*II. *Adverſar. c.* xx. & Gisberto Cupero *Exercit.* II. *de elephantis in numis c.* 5. impoſtorem illum putamus non Tacito Auguſto ſolum, ſed & Vegetio, quem infeliciter exſcripſerit, multo recentiorem, qua in re ſuffragatores nobis ſunt Valeſius in Ammianum Marcellinum, Modius & Naudaeus a Fabricio citati *Bibl. Lat. Lib.* III. *c.* 12. *p.* 110. *Ven. edit.*

VIII. Conſtantino autem tribuenda omnino eſt quatuor Praefectorum Praetorio inſtitutio, cui tamen quodammodo praeiviſſe videtur Diocletianus, dum Imperium in quatuor partes diſpertitus fuerat, a duobus Auguſtis, totidemque Caeſaribus adminiſtrandas. Non tamen nova haec dignitas fuit. Nam, ut Gutherius oſtendit *de officiis Domus Auguſtae Lib.* II. *c.* 4. Auguſtus unum Praefectum Praet. creavit primum, deinde duos. Ceteri Imperatores ad Conſtantinum, unum, vel duos pro arbitrio conſtituerant, tres etiam Commodus. Primus ergo Conſtantinus quatuor Praefectos Praetorio induxit, unum Orientis, alterum Illyrici, tertium Italiae, quatuor Galliarum.

IX. Heinc etiam nova Imperii diviſio enata eſt; quaſi ab illis ſpectanda diligenter eſſet, qui ad veterem Geographiam tradendam adgrediuntur. Nos ceteris Praefectis Praetorio miſſis, de quibus ad-

undus

eundus Pancirolus in praeclaro Commentario, quo *Notitiam Imperii* inluſtravit, & Gutherius *loco nuper citato a cap.* vi. Praefectum Praetorio Italiae conſideramus. Huic ſuberant Dioeceſes duae (Augusti aevo Provinciae in Dioeceſes tribuebantur, ſed Conſtantini temporibus turbata omnia, & Dioeceſium nomine Provinciae plures comprehendebantur) Italia ſcilicet, & Africa. Provinciae autem Italiae decem & ſeptem numerari coeperunt, Venetiae, Aemiliae, Liguriae, Flaminiae, & Piceni annonarii, Tuſciae, & Vmbriae; Piceni ſuburbicarii, Campaniae, Siciliae, & Calabriae, Lucaniae, & Brutiorum, Alpium Cottiarum, Retiae primae, Retiae ſecundae, Samnii, Valeriae, Sardiniae, Corſicae. In duas autem Dioeceſes eiuſmodi Provinciae dividebantur, Romae, quae decem, Italiae, quae ſeptem Provincias complectebatur; iiſque Vicarii duo praeerant; ſingulis autem Provinciis Praeſides, aut Correctores, aut Conſulares.

X. Patriciatus quoque dignitas auctorem habet Conſtantinum. Nam praeter Patricios illos veteres, qui a maiorum vel minorum gentium Patribus a Romulo conſtitutis, vel in vetuſtiorum numerum lege Caſſia, aut Senia ſublectis ducebant originem, novos alios inſtituit hic Imperator, qui in conſiſtorio conſiliis ſecretioribus Principis quum intereſſent, Patres ipſius Imperatoris vocati ſunt. Alias dignitates ſtatuit Conſtantinus, ut Comitum, qui quidem primi, ſecundi, & tertii ordinis fuere. Sed inter has praecipue fuit *Nobiliſſimatus* dignitas a Caeſarea diſtincta. Nam ante Conſtantinum habebamus quidem nobiliſſimos Auguſtos, & Caeſares; nullum tamen habebamus nobiliſſimum, qui Caeſar non fuiſſet. Heinc factum, labente tempore, ut

ut inter ipſorum Auguſtorum liberos alii *Caeſares*, alii *Nobiliſſimi*, iique iuniores adpellarentur: quod monuit P. Stanislaus Santinellus Somaſchae Congregationis in erudita Diſſertatione *de Romanorum veterum nobilitate cap.* III. *p.* 27.


XI. Eiuſmodi dignitatibus Chriſtianos a Conſtantino ornatos fuiſſe nemo negaverit. Id certe quod ad Praeſides Provinciarum adtinet, & Praefectos Praetorio, diſertis verbis teſtificantur Euſebius (de vita Conſtantini Lib. II. c. 44.) Theodoretus (Lib. I.) Nicephorus (Lib. VII. c. 46.) Ne tamen putes, ante Conſtantinum Chriſtianorum neminem inluſtribus togae armorumque dignitatibus decoratum fuiſſe. Chriſtianorum quidem plurimi viliores artes exercuere; quemadmodum hodieque maiorem eorum numerum ad illas animum vireſque intendere videmus, victus comparandi cauſſa; ut proinde ineptiat ille ſtultiſſime, qui officiorum eiuſmodi, quo veteres Chriſtiani functi fuerint, catalogum diligenter texat; ut eos ultima de faece homines fuiſſe non admodum laudabili conſilio oſtendat. Quid enim hinc extundere prudens homo poſſit, non video; niſi aut pauperes priorum ſeculorum Chriſtianos fuiſſe, aut certe Chriſtianae plebeculae Chriſtianos nobiles impares fuiſſe numero; quorum alterum incertum omnino argumentum eſt ignobilitatis: quum nemo neſciat, divites etiam nobileſque vetere illo aevo apud Chriſtianos paupertatem ſponte coluiſſe; alterum ſiquid probat, eiuſmodi ſit, quo maleſanus quis confirmare ſe poſſe eodem iure credat, nunc etiam Chriſtianos abiectos homines eſſe, deque infima plebe, quum multo maior pauperum viliumque opificum numerus ſit apud noſtros, quam divitum, clariſſimorumque virorum. Ceterum etiam ante Conſtanti-

ti-

tinum fuisse Christianos non ita paucos, qui nobilitate, & praeclaris muneribus praestarent, exploratior res est, quam ut ostendi debeat. Atque haec de Constantino dicta sunto; de quo qui plura cupit, Auctoresque de illo agentes nosse desiderat, adeat ille Fabricium in libro, quem praenotavit: *Salutaris lux Evangelii pag.* 255. *& seqq. ad* 294. & Moshemium in Institutionibus Historiae Christianae antiquioris *pag.* 281. *& seqq.* neque enim heic vacat Scriptorum Catalogum dare. Id unum moneo heic, ea tantum fuisse a nobis indicata, quae in controversiam cadere aliqua ratione possunt; cetera vero consulto fuisse praetermissa, ne Appendix ipsa nimium a Lupii Thesibus disputationis caussa editis abluderer.



Ravennae, ex Musivo picti fornicis Basilicae S. Apollinaris.





DE DVOBVS PSALTERIIS FOROIVLIENSIBVS

DISSERTATIO

IN QVA ETIAM ANTIQVA TABVLA SCVLPTA EXPLICATVR CVIVS PRAECIPVA IMAGO DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS CRVCIFIXVS

QVAE DIFFICILIA SUNT AD CONTEMPLANDVM ; DIFFIVLCTER ET EXPLANANTVR, NEC FACILE COMPREHENDVNTVR.

S. Cyrill. Alex. Ep. ad Acacium Melitenae Ep.



ILLVSTRISS. AC REVER. PRAESVLI

CAROLO REZZONICO

VTRIVSQVE SIGNATVRAE REFERENDARIO


S. D. N. BENEDICTI XIV. P. M.

AB HONORE CVBICVLI

LAVRENTIVS A TVRRE

PRAEPOSITVS

CONGR. ORAT. S. PHIL. VTIN.



Votquot vitae meae rationem consiliaque norunt, iure mirentur, quod Te unum, CAROLE REZZONICE, huius Epistolaris meae Differtationis Patronum habere voluerim. Non ignorant sane illi quidem nec usu, nec gratia, nec honore me ullo unquam tempore apud Te aut valuisse, aut esse commendatum. Atqui accidit fortunate, cum Tu duobus fere ab hinc annis, BENEDICTI XIV. P. M. atque Opt. delectu, Vtinum summae clarissimaeque dignitatis insignia Cardinalatus DANIELI DELPHINO Patriarchae Aquileiensi meritissimo probatissimoque delaturus adventares, accidit, inquam, feliciter, ut tuum tunc vultum mihi videre, Teque alloqui semel atque iterum coram

liceret. Quid? tantum fuit Te ex vultu cognoscere, & aliquando fari, ac occulta, nescio qua vi, quae ex illa eximii animi tui imagine sese prodebat, capi, atque allici. Ex eo namque die mihi semper iucundum, suavissimumque fuit de Te, Illustrissime Praesul, recordari; & cum iis quibuscum familiariter vixisti, instituere sermonem. Qui quidem minime mirantur, me ex illa sermonis, oris, totiusque denique corporis tui lineamentorum conformatione morum tuorum honestatem praeclaramque ingenii, virtutisque tuae indolem cito agnovisse, & propemodum incredibili erga Te voluptate affici potuisse. Etenim nobilissimae Gentis tuae iam a prima adolescentia institutis, praeceptisque optime imbutus, Romam petisti scientiarum omnium, atque optimarum artium procreatricem ac quasi parentem. Quo, quid solertia, atque studio Tibi non comparasti; aut quae ad pietatem erga Deum, aut quae ad sacrarum rerum studium & disciplinam, aut quae denique ad omne literarum humanarum genus referri posse videantur? Neque hoc sane mirandum, Te, tam celeri ac brevi cursu tantarum virtutum laudem adeptum. Exemplar ad imitandum Tibi proposuisti religione clarum, pietate verendum, doctrina atque literis excultum, Virum summum CAROLVM REZZONICVM, Patruum tuum, Episcopum Patavinum S. R. E. Cardinalem amplissimum; Virum, inquam, qui in Vrbe rerum domina multis pro Ecclesia Dei perfunctus laboribus, ad celsissimas hasce dignitatis, atque honoris sedes conscendit. In quo flagrans ad omnia pietatis opera studium cum sit, vigilantia, prudentia, consilio commissam sibi sacram Provinciam administrat. Qui tandem rerum gerendarum ma-

gni-

gnitudine numquam fractus, deceſſores ſuos, ſanctiſſimos viros, ſed & Borromaeos, Saleſioſque ſtudet imitari. Verum non eſt hic locus tanti Viri merita perſequendi: hoc enim in ſumma praeclarae Rezzonicae gentis laude poſitum eſt, pietatem colere. Certe vel unum mihi ſatis eſſet memorare, Aurelium Patrem tuum (quem vel egomet vidi) ad omnia pietatis officia effuſum, praecipue erga pauperes egenoſque in Noſocomiis degentes; quos nunc pecunia recreare, nunc piis verbis ſolari, nunc iuvare docendo, aut vilia quaeque in oculis hominum ſubire miniſteria in deliciis habet. Hiſce porro domeſticis exemplis excitatus; quo etiam, Praesvl Inlvstrissime, es compoſito ingenio, & ad bonum diſciplinaſque omnes comparata natura; pietatem, blandoſque mores facile induiſti, quos omnes in Te ſuſpiciunt, admiranturque. Sed de Te etiam, ne ſingulari modeſtiae tuae moleſtus hac mea laudatione efficiar, ſilere mihi praeſtat, iudiciumque omne a ſupra laudato Pontifice Opt. Max. quaerere; qui, ea qua pollet virtute, & ingenii acumine in aliorum meritis decernendis, Te, aetate adhuc florida, nondum ſextum luſtrum attingentem, ſupra aetatem conſilium, ſcientiam, moreſque ſeniles admiratus, in Romana Curia ad labores vocavit, tamquam ad praemium. Idque effecit, cum Te inter Protonotarios adſcripſit; cum utriuſque ſignaturae Referendarium dixit; cum in nova ab ſe erecta peculiari Congregatione veteri Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum adiecta, pro excipiendis, examinandiſque Epiſcoporum, aliorumque relationibus, Te quoque adſcivit; & tandem cum ab honore ſui Cubiculi eſſe voluit. Quibus ego tuis virtutibus, atque honoribus morem gerere certiſſime mihi videor,

dum Epistolarem Dissertationem hanc, quam Vir doctissimus, atque eruditissimus Franciscus Gorius, ad quem illam literariae consuetudinis fovendae caussa iam miseram, nunc vult in lucem prodire, tuo Nomini inscribo. Ea siquidem de rebus agit, quibus nihil sanctius, nihil sacratius habet nostra Christiana Religio; quibus praeterea nihil Te dignius inveniri potest. Ex quo quidem tantus illi honos accedit, ut publicam lucem subire, hominumve iudicia minime vereatur.

Tu vero, PRAESVL ORNATISSIME, perge ut coepisti per divinae semitam sapientiae tibi laudem quaerere: morum, inquam, probitate, ecclesiasticae disciplinae custodia, sacrarum scientiarum studio, aemulatione denique, & consuetudine virorum vere sapientum: *viae enim sapientiae pulcrae, & omnes semitae illius pacificae*. (a) Siquidem, *facile videtur ab iis, qui diligunt eam: & invenitur ab iis, qui quaerunt illam*. (b) Me denique uti ceteros soles, si blande exceperis, humanitate fovebis, erit profecto fructus illius divinae sapientiae, quae super omnes, sine personarum acceptione, oriri facit Solem suum, ceteraque magnificentissime largitur.

DE

(a) *Prov.* 2. 20. 3. 17. (b) *Sap.* 6. 13.



DE DVOBVS PSALTERIIS FOROIVLIENSIBVS DISSERTATIO

AD V. CL.

ANT. FRANCISCVM GORIVM

PRAEPOSITVM

BASILICAE BAPTISTERII FLOR.

IN PATRIO LYCEO HISTOR.

PROFESSOREM



Ria praecipue ſunt, quae me impulerunt, ut has tibi, VIR CLARISSIME, litteras darem: tum quod me tibi Viro eximia pietate aeque, ac recondita eruditione inter paucos celebri, haec ponentem ob oculos, gratiſſimam rem facturum eſſe conſiderem: tum ut hiſce de rebus omnibus, quas ad te perſcribere conſtitui, tuis admonitionibus, quas perutiles mihi futuras perſuadeo, doctior fierem: tum denique, ut quanti ego, optimorum litteratiſſimorumque Virorum iudicium ſecutus, te facerem, aliquo modo ſignificarem; & tanta tua in me merita, meamque plurimam erga te obſervantiam publico teſtimonio comprobatam apud poſteros relinquerem. Cum tu me in amicitiam tuam peramanter, atque honorifice adſciveris, & per lit-

teras de ſtudiis noſtris mecum agere benevole volueris, nonne id tanti apud me eſſe debet, ut tam ſingularem tuam humanitatem, & quae inde in me redundat, utilitatem, obſcurare nulla unquam poſſit oblivio? Quod vero in eruditiſſima illa Epiſtolari Diſſertatione, quam ad perveterem noſtrum utriuſque amicum doctiſſimum Ioſephum Blanchinum, Orat. Rom. Presbyterum ſcripſiſti, ut vetuſtorum Codicum Sanctorum Evangeliorum deſcriptionem exhiberes, quamque ille ſecundo *Vindiciarum* ſuarum Sac. Scripturae Volumine in vulgus edidit, publicis me laudibus ornaveris, tuamque erga me benevolentiam omnibus patefeceris; uti ingenuo quodam pudore me ſuffundi ſentio, ita tam liberalem erga me voluntatem perpetua proſequi recordatione me debere intelligo.

Quare vix te V. C. nihil optare cupidius, atque adeo ardentius expectare, quam ut ne tot vetera monumenta, quibus tum ſacra, tum profana ſtudia poſſent promoveri, aut in tenebris diutius deliteſcerent, aut calamitoſo aliquo fato plane interciderent, intellexi, & te ſacrorum Diptychorum, & Tabellarum Chriſtianas imagines exprimentium, quas ab iniuria temporum antiqui Codices defenderunt, & ſartas tectas ab omni detrimento conſervarunt, curam praecipue tangere, ex tuis litteris cognovi; cum ſtatim voluntati obſecutus tuae, nonnullas tibi ad hanc ſpartam ornandam in utroque genere mittenda curavi. Ea, quae ceteras antiquitate facile ſuperabat, Tabella quaedam eburnea fuit Vrſi Langobardi Ducis Cenetenſis iuſſu elaborata. Hanc, ut conſtans fama eſt, idem Vrſus inſigni Civitatis Foroiulienſis Canonicorum Collegio dono dedit. Quod ſeculi VIII. monumentum illi ad haec uſque tempora cuſtodientes,

tes,

tes, *Pacis* nomine appellant; quod eo ad pacem Fidelibus communicandam, qui simul ut divinis officiis interessent, convenerant, maiores sui uti solerent. Huius Tabellae, seu mavis, sacri Diptychi mentionem fecit Clarifs. Philippus Bonarrotius (*a*); sed praeterquamquod eius ectypon nostris oculis minime subiecit, parce admodum illam nobis etiam verbis declaravit. Nos quoque eam, in quadam de Evangeliorum Codice Foroiuliensi ad Eruditifs. Blanchinum data Epistola obiter attigimus, quam etiam in laudato Vindiciarum Opere (*b*) is legendam exhibere, atque ita verecundiae nostrae vim quodammodo afferre voluit.

Picturas etiam in duobus Psalteriis membraneis contentas adieci, quibus utraque Sancta Elisabet Andreae II. Hungariae Regis filia, & Thuringiae Landgravia, usa est. Non eadem tamen aetate scripta sunt. Antiquius enim, idemque pulcrius, exeunte seculo X. exaratum fuit; ineunte vero sec. XII. alterum, cum adhuc illa in terris ageret. Ambos hosce nobilissimos Codices supra laudatae Foroiuliensis Civitatis Canonicornm Ecclesiae ipsa sanctissima mulier largita est; a quibus una cum sacris aliis vetustis monumentis, iisque, de quibus supradiximus, quae neminem de Collegii illius antiquissima dignitate dubitare sinunt, conservantur. Posterius hoc Psalterium egregio integumento obvolvitur, quod praeclari Diptychi forma, Domini Nostri Iesu Christi Cruci affixi imaginem in primis exhibet; quam lineamentis expressam iam tum ad te misi; atque modo aere incisam ob oculos pono. Cum vero Diptychum hoc observationibus illustrare, in eoque haerere con-

(*a*) Osserv. sopra gli antichi Vasi di Vetro Osserv. sopra tre Ditt. *pag.* 267. (*b*) In Append. *pag.* DXLIII.

constituerim, da, quaeso, mihi hanc veniam, Vir humanissime, ut, antequam id aggrediar, priorem illum Codicem, utpote antiquitate praestantem, characterum formis nitidiorem, picturisque, quibus passim ornatur, altero hoc multo pretiosiorem, quam brevissime potero, tibi describam.

Vt vero nostra Psalteria per haec atque alia differunt inter se; ita nominis etiam appellatione, apposita veluti nota, placet illa separare, atque distinguere, & *Gertrudianum* hoc appellare. Neque iniuria: antequam enim in usum & arbitrium S. Elisabet cederet, Gertrudae cuiusdam principis feminae, proprium fuisse constantissime creditur.

Formam habet quadratae similem: ex membranis tenuissimis compactum est: quadrato etiam charactere pereleganter & affabre descriptum: nullis incisorum notis, sed punctis interdum distinctum: paucis prae vetustate litteris evanescentibus, in iis recentior manus apparet. Titulos praefert Psalmorum, & in fine versiculorum vox *Diapsalma* aureis literis frequens occurrit; de qua in primis consulendus est B. Hieronymus (*a*) Epistola ad Marcellam, ubi & aliorum sententias, & suam profert: sed & legenda altera Epistola Origenis ibi ad calcem posita a doctissimo Vallarsio, cum eius latina interpretatione. Psalterium totum, centum scilicet & quinquaginta Davidis Psalmos, Canticaque illa, quae Psalmis addi solent, continet: haec hymnus *Te Deum, quem S. Ambrosius, & S. Augustinus invicem condiderunt*, excipit: sequitur Oratio Dominica, Symbolum Apostolorum, & sub nomine S. Athanasii *Quicumque*, nullis ulla in re ab interpretatione Vulgata discrepantibus lectionibus. Continenti scriptione, non vero in columnas, ut vo-

(*a*) Ep XXVIII *col.* 133. Tom. I. *edit.* Veron.

vocant, divisam, exaratum est; Psalmorumque versiculi alii ab aliis per capita sunt separati. Capacissimam membranae faciem auro, & Arabicis picturis ornatissimae implent quatuordecim maiores litterae, quibus ordine interrupto totidem Psalmorum initia ducuntur. Idem ceteris in Psalmis, & litteris, immo etiam verbis versiculorum omnium principibus, auro ubique ductis, servatum est; eo tamen discrimine, ut hec illis aliquanto minores sint. In ipsa Psalterii fronte Davidis imago oculis subiicitur; tum post certum Psalmorum numerum quatuordecim Trevirenses Archiepiscopi, Caelicolis adscripti, Pontificiis vestibus ornatis, optimis coloribus, auroque illiti nobis repraesentantur. Medium inter hos B. Virgo, Greaco more depicta, locum tenet. Quamquam non a Psalmis Codex hic noster, sed a Calendario quodam in menses omnes tributo, initium sumit: in quo, licet aetatis tam antiquae, paucissimos dies vacuos est videre. Praeter vetustioris, totique Ecclesiae communis observantiae Sanctos, ex Galliae, Germaniaequae Provinciis Episcopi, ut plurimum, ac Monachi numerantur.

His proxima S. Petri Apostoli effigies, inter alias quasdam media, de quibus mox agemus, ordine succedit Devota Oratio *ad S. Petrum* in utraque eius imaginis columna descripta legitur; aliis per plures membranas subinde sequentibus. Inter has Calendario, ut ita appellem, locus est, in quo Aegyptiorum notantur dies, qui ad Lunae rationem fasti, nefastive habebantur, superstitiosa quadam credulitate animos hominum ad ea usque tempora imbuente. Huiusmodi preces tres itidem graeco artificio ductae imagines exornant. Sub finem Diaconi cuiusdam effigies exhibetur librum porrigentis per haec verba: *Donum fert Ruodpreth:* at

in

in opposita membranae parte Archiepiscopi manus ad accipiendum Volumen extendentis imago conspicitur, verbis rem exprimentibus: *Quod Praesul suscipit Egbreth*. Haud ita multo post picturae aliae duae, superioribus similes, consequuntur; quarum altera in adversa membranae parte, altera in ea, quae e regione illi respondet, posita est. Illa Archiepiscopum, librum dono ferentem, repraesentat, lemmate suprascripto; *Quod ibi dat munus*; haec S. Petrum Ap. munus suscipientem refert, hemistichio apposito: *Dele sibi Petre reatus*. Orationes deinde aliae usque ad finem Psalterii leguntur: imo Psalterium totum orationibus refertum est, aliis infimo, aliis etiam in mediis membranarum spatiis, ubique alia manu descriptis. Postremae omnium longissimae Sanctorum Litaniae, precibus adiectis, veniunt, quorum plurimi Episcopi, & Monachi sunt ex Gallia, Germaniaque vetustissimi; quemadmodum ex iis quoque maiore ex parte conflatum esse Calendarium supra docuimus. Illud porro est in his Litaniis animadversione dignum, quod XXII. Trevirensium Sanctorum Archiepiscoporum nomina, quadratis auratisque expressa litteris inscribuntur. Quod vero maxime dolendum est, tum prima, tum postrema sui parte Codex hic mutilus est & imperfectus, (integro tamen Psalterio) nonnullis membranis ab invida nescio qua manu, qui ex tam claris monumentis Foroiuliensium Canonicorum nobilitatem, antiquitatemque testatam posteris aegre admodum ferebat, ut postea certis argumentis compertum est, abscissis inde, atque avulsis.

Verum antequam manum e tabula subducamus, duo insuper mihi praestanda esse video; alterum ut a quo, alterum ut quo tempore Psalterium hoc de-

descriptum fuerit, coner eruere. Id factum fuisse exeunte seculo x. & a principe quadam femina, Gertruda nomine, in usum potestatemque S. Elisabet Landgraviae Thuringiae pervenisse, sub ipsum huius Epistolae initium pro certo affirmare minime dubitavimus. An haec ita se prorsus habeant, Philippus a Turre, Adriae Episcopus, disputationem omnem sustulit; qui, cum anno MDCCXVI. ut autumnali otio perfrueretur, in patriam Vrbem secessisset, antiquos Tabularii Capitularis scriptos Codices excutere percommode potuit. Is igitur in vacua membrana Psalterii Gertrudiani, adnotationem, quam mox subiiciemus, literis propria manu scriptis consignavit, & ad posteros transire voluit. Hanc Bernardus de Rubeis (*a*), Vir editis libris Clarissimus, aliud patriae meae Vrbis, atque adeo totius litterariae Reip. splendidissimum lumen, eruit, publicique iuris fecit. Ecce illam tibi iterum V. Clarissime: *Ex verbis adversae paginae abrasis, quae fere omnia restitui* (nosque paullo post dabimus) *patet hunc sacrum Codicem donatum fuisse a S. Elisabet nostro Capitulo Foroiuliensi, hortatu Bertoldi Patriarchae, qui frater erat Gertrudae ex Ducibus Meraniae, eiusdem Elisabet Genitricis. Codex vero ante ducentos annos scriptus fuerat in usum alterius Gertrudae, cuius genus in obscuro latet: quamquam ex Principum progenie fuisse ex eo liquet, quod non semel ipsa orat* pro Petro filio meo unico, & exercitu eius. *Haec Codicis aetas deducitur ex pagina duodecima, in qua visitur imago picta eius, qui librum scripsit, offerentis librum ipsum Egberto Praesuli, ut ex versu hinc inde expresso:* Donum fert Ruodpreth -- quod Praesul suscipit Egbreth. *Non alius hic est, quam Eg-*

(*a*) Monum. Eccl. Aquil. c. LXIX. n. IV. col. 683.

Egbertus Trevirorum Archiepiscopus, qui eam rexit Ecclesiam ab anno 979. ad 993. Nam Sancti, qui pictis imaginibus, & aureis litteris in Litaniis repraesentantur, sunt pariter Episcopi Trevirenses. Ergo inter memoratos annos 979. & 993. Codex noster exaratus fuit: & quidem in Vrbe Trevirensi, vel loco alio eius Dioecesis, in qua etiam Gertrudam Principatum habuisse suum suspicari licet.

Verba autem, quae non *temporis edacitate abrasa*, ut Cl. de Rubeis tradidit (*a*), verum de industria oblitterata (quod omnibus patet) Philippus Episcopus se in integrum restituisse testatur, haec sunt: quae, etiamsi certa fama deficeret, de munificentissima donatione nullum nobis dubitandi locum relinquerent: *Sanctae Helisabeth Hungariae Regis filiae. Landgravii Ducis Thuringiae coniugis munus. Quod cum hortatu Bertholdi Patriarchae Aquileiensis eius... (Avunculi) singulari in Deum... dedit honestissimo Canonicorum Foroiuliensium Collegio, iampridem eius in orando assiduitatem cum pietate coniunctam... (admirata)*. Quae duo verba lineis utrinque clausa apposui, ea ego novo studio sum assecutus.

Iis, quae de anno, quo scriptum Psalterium hoc fuisse perhibetur, hactenus dicta sunt, nonnihil & mihi addere liceat. In Calendario itaque, quod priorem locum occupat, Paschalia Festa ad diem XXVII. mensis Martii ita censentur: VI. K. (Aprilis) *Resurrectio Domini*, littera *B* Dominicum diem designante. Quis igitur inficias ierit, annum hunc fuisse a Christo nato nongentesimum octogesimum primum, quo Paschalia Festa hac ipsa die XXVII. Martii celebrata fuere? Quod profecto magis, ac magis sententiam Episcopi Adriensis, *nostrum*, scilicet

(*a*) loc. cit.

cet *Codicem inter memoratos annos* 979. *&* 993. *exaratum fuisse*, corroborat, atque confirmat. Neque enim ego Librarium Paschalibus Festis ex arbitrio potius, quam ex eius anni, quo exscribebat, ratione, diem apposuisse mihi persuadeo.

Quaenam autem *Gertruda* illa, quidnam eius Filius *Petrus* fuerit, pro quo ipsa toties Deum orat, & illum, seque ipsam proprio nomine compellat, dispicere neque huius loci est, neque huius a me institutae disputationis; quamvis multa de hac re in adversariis meis iamdiu seposuerim. Nec praetermittam, me eruditissimum Virum Nicolaum de Forlosia, quem honoris caussa nomino, Caesareae Vindebonensis Bibliothecae Praefectum consuluisse, a quo humanissimas accepi Epistolas; nec non & amicum aeque ac doctum Virum Iosephum Liruti, qui multis editis scriptis Patriam hanc Foroiuliensem egregiae illustravit; quamquam ex doctissimis eorum animadversionibus, nondum tantum luminis accepi, ut in obscuro adhuc non lateat utriusque, Gertrudis nempe, & filii eius Petri genus & imperium. Hoc tantum dicam, in marginibus, & ad quemque fere Psalmorum versiculum haec sigla auratis quadratisque signata litteris saepissime occurrere G. R. H. in quibus facile agnoscas & legas: *Gertruda Regina Hungariae*. Verum hic quoque haud parum difficultatis inest, & alterius fortasse temporis otium a nobis deposcet. Quae igitur in altero Psalterio, seu potius Diptycho, quod eius tegumento inhaeret, animadversione maxime digna existimo, ea tandem in medium proferam.

Codex hic alter est forma primo illo aliquanto brevior: membranaceus & ipse, quamquam crassior & rudior, licet & latine descriptus; eius tamen lit-

litterae minime teretes, Germanicum Scriptorem facile indicant. Omnes Pſalmos, quos habet interpretatio Vulgata, continet. A tribus orationibus exorditur. Poſt has Calendarium proxime ſequitur, quod aureis picturis ornatum, columnae, ut aiunt, in morem exſcriptum eſt. In ſuperiore margine quatuor anni tempora, & Zodiaci ſigna figurantur: at in columna laeva myſteria quaedam, aut eorum, qui maiore tunc eo menſe in veneratione eſſent, Sanctorum egregia facinora praemonſtrantur. Aliae poſt veniunt piae precationes, quae huiuſmodi Teutonica lingua, latinis tamen litteris ſcriptam admonitionem praeſeferunt: *Diet gebet Salonam ſpreche nach deme erim Agnus Dei;* h. e. *tum ante, tum poſt orationem dicatur, Agnus Dei*. His praemiſſis, Pſalterium initium habet; quo expleto conſueta Moſis, Ezechiae, Annae, Zachariae, trium Puerorum Cantica, tandemque Hymnus *Te Deum* leguntur. Tum Defunctorum Officium, ab eo, quod poſt correctionem Pianam in uſu eſt, plane diſſimile; deinde Symbolum Fidei: *Quicumque etc.* quod S. Athanaſio tribuitur. Poſtea membranis in columnarum ſpeciem diviſis, altera quidem Sanctorum Litaniae recenſentur; altera vero complures ipſorum imagines continentur; quarum aliae ſumma etiam in membranarum parte ſunt collocatae. Poſtremo per duo Sanctiſſimae Virginis, Sanctique Simeonis Cantica Codici finis imponitur. Picturae nonnullae ante ipſum Pſalterium, & ante Pſalmorum quemque, eorum hiſtoriam, aut ſignificationem declarantes, poſitae. Quod ut magis pateat, exemplis illuſtrabimus. In principio Pſalmi XXVI. *Dominus illuminatio mea etc.* humani generis Reparatorem oculos caeci nati manu tangentem, videre eſt. Ante Pſalmum LXXX.

Exul-

Exultate Deo salutari nostro etc. ex una quidem parte Iacobus Patriarcha filio suo Iosepho benedicit, titulo superposito: *Vide, si cuncta prospera sunt*; ex altera vero Iosepho eius Fratres vestes detrahunt, ut eum in cisternam detrudant. Aliae item Picturae in fine habentur, sed rudis pennicilli; quas una cum ceteris ex Codice Gertrudiano delineatas ad te V. C. perferendas curavi; tum ut tuo Antiquarum rerum desiderio facere satis posses, tum ut etiam, si ita tibi videretur, eruditis Commentariis lucem iis posses adferre.

Ad aetatem Psalterii huius quod attinet, illud ineunte seculo XII. scriptum fuisse, ut supra etiam indicavi, non videtur ambigendum. Sed & ad Elisabet Landgraviam quondam pertinuisse, antiquissima ad nos usque dimanata traditio, nos docet. Hanc porro certam constantemque hominum opinionem inscriptio vetustis exarata litteris, quae ad mensem Februarium in Calendarii calce legitur, maxime confirmat: *Sanctae Elisabeth Landgravii Thuringiae Coniugis munus sub* MCCXX. Neque ullum mihi profecto negotium facessit, appellari hic *Sanctam*, quo anno Elisabet adhuc in vivis erat: aut *Coniugem*, eo tempore, quo nondum matrimonio copulata; sed tantum fuerat desponsata. Etenim, qui notam hanc apposuit, statim ac rite a Summo Pontifice in Sanctorum albo fuerat descripta, hoc fecisse videtur (etenim munus dignius habetur, quo illud a dignori accipitur) atque adeo in nota numerali errorem irrepsisse, ut ex infra dicendis, clarius patebit. Sanctorum autem Fastis adscripta fuit Elisabet *Perusiae an.* MCCXXXV. VI. *Cal. Iunias, ipso Pentecostes die in Coenobio Fratrum Praedicatorum*, ut testantur Wadingus (*a*),

N atque

(*a*) Annal. Min. ad ann. 1235. Tom. I. pag. 528. Io: Trithe-

atque alii praesertim eius Vitae Scriptores, curante & praesente Gregorio IX. P. M. quinque annos ab eius morte, quam obiit *in Oppido Hassiae Marpurg, die* XVIIII. *Novembris an. Ch.* MCCXXXI. non MCCXXXII. ut habet Auctor Annalium Landgraviorum (*a*).

Verum hoc loco praetereundum minime puto aut erga Neptem summum studium ac religionem; aut erga Canonicos Foroiulienses, quorum pietatem, & in orando assiduitatem ipsa vivens fuerat admirata, liberalitatem Bertoldi Patriarch. Aquileien. eius avunculi, qui ut tantae Neptis cultum promoveret, certos reditus tum Foroiuliensibus, tum Aquileiensibus Canonicis quotidie distribuendos, Festum eius diem celebrandi onere illis addito, assignavit. Et sane adhuc huiusmodi viget consuetudo, diesque in Sanctae Elisabet honorem solemnis agitur XIII. Cal. Decembres, non tenui largitionis spe proposita. Atque haec quidem largitio est: *Dat. apud Sacellum in Ecclesia anno Domini* MCCXLV. *Ind.* III. XIII. *Cal. Februarii*, extatque in Tabulario ipsius Capituli. Edidit hanc V. C. Bernardus de Rubeis (*b*) una cum alia non absimili, Capitulo Aquileiensi facta, quae iampridem in *Ital. Sacr.* (*c*) publicam lucem viderat eodem loco, & anno

themius Chron. Monast. Hirsaugen. ad an. MCCXXXI. Tom. I. pag. 545. Codex Constit. pro Canoniz. Sanct. pag. 75. Theodoricus Thuring. apud Canis. antiq. Lec. P. II. pag. 143. Iacobus Montan. in Vita S. Elisabet apud Surium Tom. VI. die 19. Novemb. Lambec. in Bibl. Caesar. pag. 874. Chronic. Elwagen. inter Rer. Germ. Script. Freheri Tom. II. ad an. 1236. pag. 456.

(*a*) In Addit. ad Lambert. Schafneburgen. Inter Script. Rer. Germ. apud Pistor. ad ann. MCCXII. pag. 257

(*b*) loc. cit. c. LXXII. n. IV. & V. pag. 718. & seq.

(*c*) Vghell. Ital. Sac. Tom. V. col. 91.

anno adscripto, sed diebus aliquot Foroiuliensi posterior; data enim fuit *Cal. Februarii*. Alteram hanc donationem confirmavit Clemens IV. exemplum secutus decessoris sui Gregorii, qui eam Viterbii XV. Cal. Octob. an. MCCLXVI. ratam habuerat, ut videre est apud laudatos Vghellum, & de Rubeis, ex quadam Necrologii Aquileiensis adnotatione.

Vt autem res clarior fiat de huius Psalterii usu, atque largitione, duas Tabulas ad eius calcem pictas tibi, DOCTISSIME VIR, sub oculis, qua maxima potero perspicuitate subiiciam, de quibus quemadmodum de reliquis, penes te iudicium esto. Ante pedes igitur e Cruce pendentis Reparatoris nostri in genua provolutae duae Adolescentum imagines, Templum illi manibus exhibentes, iacent, cum epigraphe: *Renhersburden*. Ad latus Adolescentis, dexterum cornu tenentis: *Herman Landgravii*: ad latus vero Puellae laevum occupantis, *Sophia* legitur. Sanctorum Litaniae inde succedunt; tum in membranae quartae medio, unde solitae preces, *Peccatores etc.* exordiuntur, Agnus cum vexillo & Cruce in tabella quadam, ovali fotma repraesentatur. Ex utraque parte Angeli duo adstant, versiculo inscripto: *Agne Dei, miseris miserere parentibus istis*. Duae praeterea imagines, quae partem membranae dexteram occupant, infra positae sunt. Superior adolescentem Principem caeruleo pallio amictum, vittaque, seu diademate frontem praecinctum refert; Senem promisso capillo, pileolo acuminato caput obnubentem, vestitu, qui gravem virum deceat, inferior praefigurat: rubeis calceolis utriusque pedes ornantibus. Eodem prorsus statu ex parte altera, quae laeva est, effigies duas videas, quarum superior Adolescentem cum infu-

la, Pallio Pontificali, & nigro calceolo; inferior Puellum aperto capite, amictu regio, rubeisque calceis praesefert. Atque his quidem Picturis quinque aliae recto & continuo ordine inferius succedunt. Prior post illam, quae dexteri cornu secunda est, Princeps iuvenili forma est cum galero, pallio, calceoque purpureo: altera, Mulier vestitu inculto & simplici: tertia, item Mulier pallio coeruleo: quarta vero rubro amictu: denique postrema Mulierem caput diademate ornatam, pallium indutam candidum, librumque prae manibus ferentem exprimit: omnes autem supplicum in morem positis genibus depictae sunt. Adolescentis Principis, qui primus in rectilinea inferiori a laeva visitur, super caput haec est inscriptio: *Herman Landgravit*: & ad caput eius, quae laevam tenet, & est in hoc ordine quinta, *Sophia* legitur. Ad caput vero tertiae, *Luchart*; & eius, quae hanc excipit, *Hildergirt*. Reliquae nominibus prorsus carent. Verum antequam harum omnium imaginum explicationem aggrediamur, ut nonnulla praemittamus, necesse est.

Ludovicus v. Landgravius Thuringiae vi. insigni pietate Princeps, Christianae Religionis amore incensus, Coniugisque sanctissimae feminae precibus, tum etiam Corradi Hildestimensis Episcopi consilio excitatus, aliorumque Principum, Optimatumque Virorum Comitatu stipatus, Crucis Vexillum explicuit, & Hierosolymam a Barbarorum servitute in libertatem vindicaturus, Calabriam profectus est; ubi a Federico II. Imperatore magno cum honore, ac benevolentia exceptus fuit. Verum ibi repentino morbo correptus eodem anno III. Id. Sept. Sacramentis Ecclesiae munitus, ad plures abiit, summo Imperatoris, totiusque Christia-

ſtiani exercitus moerore lacrymiſque decoratus. Anno inſequenti, qui MCCXXVIII. erat, eius cadaveri, funebri magnificaque pompa Thuringiam delato, religioſiſſima Coniux excelſo invictoque animo, qui Chriſtianam virtutem maxime decebat, obviam venit; illudque ad Coenobium uſque Reinhardsbornenſe, quod S. Benedicti legibus & inſtitutis ſtat adhuc vigetque, *ubi* (Monachi eiuſdem Monaſterii Reinhardsbornenſis, qui haec eadem narrat, ſunt verba) *multis claret miraculis*, conſtantiſſime proſecuta eſt. Si quis plura de eius praeclare acta vita teſtimonia videre cupit, is alios apud Wadingum (*a*), & Annalium Scriptores maxime Germanicos adeat, *qui referunt*, ait ille, *miraculis claruiſſe; eiuſque diem feſtum Hieroſolymis celebratum, atque adeo Chriſtianiſſimum, & Beatiſſimum Principem appellant*.

De hoc Reinhardsbornenſi Thuringiae Coenobio, in quo Landgraviorum Sepulchrum erat, praeclarum monumentum Federico Scannato (*b*) debemus. Is enim largitionem quandam nobis ſervavit Landgravii Henrici, qui fratri ſuo Ludovico V. ſucceſſit, & in Romanorum Regem an. MCCXLVI. Innocentii IV. P. M. (qui eum anno ſuperiore in generali Concilio Lugdunenſi anathemati ſubiecerat, regnoque privaverat) auctoritate & praeſidio electus fuit; quique inſequente anno MCCXLVII. vitam cum morte mutavit. Largitio itaque facta ab eo fuit huic Monaſterio, in ipſius Eliſabet, ſuam, uxoriſque aeternam ſalutem, eodem anno, quo mu-

 lier

(*a*) loc. cit. Trithem. Annal Hirſaugen. ad an. MCCXXVIII Tom. I. pag. 578. Sifrid. Miſnen. in addit. Scafneburgen. Lib. II ad an 1212 pag. 694. Thuringia Sac. C. LVI. Epitaph. Lud. & ibid. Reyher. Monum. Landgr. Thuring. ibiq. Monachus Reinhardsb. ad an. 1228 edit. Francof. 1737.

(*b*) Vindiciae Liter. ſive Monum. Germ. Sac. n. XXV pag. 106.

lier ſanctimonia vitae inſignis in Beatorum ſedes convolavit. Eam porro non gravabor ex parte referre: *Charta Henrici Landgravii, qua Reinhardsbornenſi Caenobio decem manſos in Ludisburnia concedit.* In qua ſic legitur: *Poſterorum igitur recordationi volumus eſſe memorabile, quod adunatis manibus Matris noſtrae, & Conradi fratris noſtri pro ſalvatione animae dilectae Conteſtabilis noſtrae Heliſabeth, ipſo die humationis, eius Eccleſiae noſtrae in Reinherabornin contulimus decem manſos noſtrae proprietatis in Ludisburnia ſitos - - quos in eadem villa in tumulatione oſſium Fratris noſtri Ludovici Landgravii praefato Coenobio dedimus - - quatenus fratres praenominati Monaſterii, tam pro noſtrae & noſtrorum, quam pro carae Coniugis noſtrae animae ſalute ſtudeant famulari etc. Actum Reinherisburni Anno gratiae* MCCXXXI. *Indict.* IV. Coenobium hoc ab Lodovico II. qui *Saltatoris* cognomen invenerat, an. MLXXXV. erectum fuerat, in quo vix cucullum induit cum an. MCXXIII. mortuus eſt (*a*).

Nec vero multis coniecturis opus eſſe videtur, ut in iis, quas deſcripſimus, imaginibus Thuringiae Familiam recognoſcamus, quae fortaſſe extrema pietatis officia Ludovico V. perſolvit, cum is fato functus ex Calabria in Coenobium Reindersbonenſe anno MCCXXVIII. quemadmodum ſupra innuimus, deferebatur, ut inter Maiorum ſuorum cineres conquieſceret. Landgraviorum Scriptor Anonymus (*b*) eius corpus ex Calabria in Germaniam fuiſſe delatum, ubi Ludovici virtutes ac merita praeclara laudatione proſequitur, his verbis teſta-

tur

[*a*] Rer. Germ. Script. apud Piſtor. Addit. ad Lambert. Schafnaburgen. pag. 253. Chron Citicen. ad an. 1065 pag. 775. Et in Genealog Lantg Piſtorii ibid in fin. pag. 961.

[*b*] In Hiſt. Erfeſphond. de Landgr. Thuring. C. XL. pag 923.

tur luculentiſſime: *&* *ſepulta*, (oſſa) inquit, *in ſepulchro parentum in Reinberſoborn anno Domini* MCCXXVIII. *praeſente* MATRE, VXORE, *&* FRATRIBVS, *&* FILIO *ſuo* HERMANNO *primogenito*. Prior igitur Pictura filios duos Eliſabet Hermannum & Sophiam exhibere diſcimus; Templum, ſive Monaſterium, in quo ipſorum Pater tum recens ſepultus fuerat, offerentes.

Sanctam Eliſabet an. MCCVII. ortam eſſe, omnes qui eius vitam conſcripſerunt, ceterique Chronologi affirmant. Parentes habuit Andream II. Hungariae Regem, qui quod Terram Sanctam adierit cum exercitu, *Hieroſolymitanus* cognomento dicebatur, ac de quo in quadam ſua Conſtitutione Innocentius III. meminit (*a*); & Gertrudam Bertoldi Meraniae Ducis filiam, Bertoldique Patriarchae noſtri Aquileienſis, nec non Egberti Bambergenſis Epiſcopi Sororem. Anno MCCIX. Ludovico Thuringiae ſexto Landgravio, qui tum duodecim agebat annos, deſponſata eſt. Anno autem MCCXXI. *Sanctum cum Sancta*; *Innocentem cum Innocente*, ut Thuringii verbis utar (*b*), in matrimonium coaluiſſe ſcimus. Auxit eos Deus Opt. Max. filiis: ſed quot ii fuerint, quibuſque nominibus certo compellarentur, quove in Monaſterio ex filiarum una religioſam vitam duxerit, non ſatis convenit inter Scriptores. Haec ego diſcutienda aliis relinquo; eoſque qui laborem hunc velint ſuſcipere, ad Hiſtoricos, Annaliumque Scriptores, praeſertim vero ad noviſſimum Thuringiae Sacrae Auctorem Samuelem Rayherum, qui rem ex inſtituto pertractat, remitto. Illud vero firmum eſt, atque receptum, filium, cui nomen Hermanno,

[*a*] In cap. licet de Vot. & Vot. Redempt.
[*b*] In Vita S. Eliſab. Cap VIII.

anno quidem MCCXXIII. Ludovicum ex Elisabet Coniuge habuisse; tum filias duas, alteram, quae Duci Brabantiae nupsit, Sophiam nomine; Gertrudem alteram, quae in Monasterio Aldemburgensi Trevirensis Dioecesis Ordini Praemonstratensi nomen dedit; cui etiam Antistita praefuit, atque ex hac vita decessit, conciliata sibi sanctitatis opinione, ut ex sepulcrali Elogio eruitur, quod nobis Petrus Diederichius, Canonicus Regularis in Romesdorff, in Catalogo Magistrarum huius Coenobii nobis tradidit (*a*).

Redeamus, unde discessimus, ad Picturas nempe. In altera igitur Pictura, prima & secunda, quae in dextero cornu conspiciuntur figurae, *Corradum*, atque *Henricum* demortui Ludovici fratres, fortasse haud temere dixeris. A laeva superior imago Episcopum refert: quem ego *Erchenbertum*, Bambergensem Episcopum, Elisabet patruum, qui etiam in funus Ludovici, dum solenni pompa efferretur, processit: aut certe *Bertholdum* eius fratrem, Episcopum olim Colocensem, tunc vero Patriarcham Aquileiensem, esse crediderim. Adolescentula, quae statim infra depicta est, *Sophia* erit Elisabet filia; quae vero ex quinque picturis inferiori area sitis prima est, eam *Hermannum* Elisabet quoq; filium esse non dubito, cum ex apposita utrisque epigraphe, tum ex vultus, vestiumque lineamentis, quae primae picturae, de qua supra, omnino respondent. In altera mihi videor videre *S. Elisabet*, quae nullo regio decoratur amictu; cum sciamus mortuo marito statim pretiosis vestibus valde dixisse, vulgaribusque deinceps indutam. Tertiam, quae inscribitur *Luchart*, non abs re erit credere defuncti Ludovici sororem, Henrico Austriae Duci nuptam, aliis *Riccardam*, & etiam Agnetem.

(*a*) Apud Samuel. Reyher. loc. cit.

tem. Principis imaginem, quae quarta ordine eſt, cum appoſita epigraphe *Hirdegird*, *Irmengardam* puto, quae aliis etiam Margarita eſt; & ipſam defuncti Ludovici ſororem, atque Henrici Anhaldini Principis uxorem. Quintam denique poſtremamque effigiem *Sophiam* eſſe matrem defuncti Ludovici Landgravii VI. pro certo habeo; quam hoc ipſum Pſalterium prae manibus tenere, & Ieſu Chriſto illud offerre non dubito, preceſque ſuas exhibere, quibus a ſublato Filio, aliiſque agnatis in Monaſterio Reinhardsbornenſi ſepultis, poenam deprecetur; quodque hoc ipſum Pſalterium hac occaſione Eliſabet eius ſocrui elargita ſit, facile mihi perſuadeo. Sed & ad ipſius Sophiae uſum conſcriptum fuiſſe, ex precibus, quae initio leguntur, quas proinde heic in medium proferre placet, nullus dubito. In hac porro Pictura deſiderari videntur unus Ludovici demortui frater, nempe *Hermannus*, duaeque Sorores, *Hedwiga* nempe, aliis *Sophia*, & *Iuſta*. De Hermanno, ratio eſt in promptu; is enim diem extremum clauſerat an. MCCXVI. duas autem illas Sorores, minime ſupremo fratri funeri interfuiſſe, par eſt credere.

Beatiſſimam ergo Virginem Mariam, Sophia orat his verbis: *Vt mihi famulae tuae impetres a dilecto Filio tuo gratiam Spiritus Sancti etc.* Ad ſacroſanctum vero Miſſae Sacrificium ita precatur: *In praeſentia Corporis, & Sanguinis tui, Domine Ieſu Chriſte, commendo famulum tuum Hermannum.* Et alibi. *Eumdem etiam ſervum tuum Hermannum, quamvis multis criminibus & peccatis irretitum, tamen a te creatum etc.* Profecto *Hermannum* cum dicit, virum ſuum intelligit, qui an. MCCXV. fato iam ceſſerat. S. Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum, uti ego opinor, ita eadem alio loco allo-

loquitur: *Sancte Pater, & Protector noster, egregie Christi Martyr Thoma -- ego paupercula & peccatrix -- suscipere dignare Domine Deus Omnipotens hos Psalmos tuo nomini consecratos, quos ego indigna & peccatrix decantare cupio etc.*

Habes itaque V. C. in hac Pictura totam Landgraviorum Familiam, quae Ludovico V. funus ducit in Reinhardsbornensi Coenobio; nempe, ut Anonymus scriptum reliquit, habes inquam, MATREM Sophiam, VXOREM Elisabet, FRATRES Corradum & Henricum, FILIVM Ermannum. Sed addi debet & Sophia, eiusdem Ludovici filia; non autem Gertruda, quae inclusa Monasterio interesse minime potuit. Adde & Engbertum Episcopum; & tandem duas etiam eiusdem Ludovici Sorores. Sed aliquando huius nostri Psalterii tegumentum, sive Sacrum Diptychon observationibus illustremus.

Antequam vero ad ipsum venerandum Codicem accedam, quia ad id, VIR CLARISSIME, me pro tua in me singulari humanitate hortatus es, prolubet heic nomina omnia recensere eo ordine, ut adnotantur antiqua manu in Kalendario Codicis Gertrudiani; quandoquidem in eo, quem haec ipsa sculpta Tabula praenobile operimentum ornat, silentur; quod eo consilio facio, ut facilius expiscari quis possit, in quas manus delatus sit Codex, postquam dono accepit Egbertus Praesul: in quo peculiari observatione digna sunt adnotata haec nomina *Diepoldus Marchio -- Sophia Comitissa -- Bertholdus Comes -- Boppo Comes -- Agnes --* quae bis nominatur, atque eius obitus -- *Salme Ducissa -- Heinricus Comes, & Monachus Bolich*, sive Bolislaus Dux etc. De his quum diligenter quaererem adnotanda, in Chronico Laucishauseni apud Freherum *pag.* 143. occurrit mihi *Bobbonus Comes*, &

pag.

pag. 146. iterum nominatur cum fratre ſuo *Bertholfo*. In Chronico Auſtriaco ad ann. DCCCCXXVIII. nominatur *Luipoldus primus Marchio in Auſtria*; & ad annum MIV. habemus *Bolislaum* Ducem Sclavaum. Aliis in locis *Luipoldus* recenſetur, cuius obitus ad annum MXCVI. adnotatur. En igitur praelaudati Kalendarii Schema.

	IANVARIUS	
III. N.	Oct. I. Ioan Evang	⊙ *Iudinda*
	FEBRVARIVS	
VIII. K.	Cath. S. Petri in Antiochia	*Heukiic.*[s]
IIII. K.	Alexandri ep. & Conf.	⊙ *Hiltiviti*
	MARTIVS	
XV. K.	Alexandri ep	*Lvvigart*
XII. K.	Benedicti ab	⊙ *Odalricus* ⊖
	APRILIS	
VI. ID.	SS. VII. Virginum	*Diepoldus Marchio* ⊖
	IVNIVS	
VI. K.	Ioh. & Pauli	*Sophia Comitis.*
III. K.	S. Petri & Pauli	*Bertholt.*[s] *co* ...
	IVLIVS	
V. ID.	Translat. S. Benedicti ab.	*Boppo Comes*
idus.	Reinſvindae v.	⊙ *abonoldus*
XIII. K.	Gabini & maximii mr	*Winoldus* o *udilbert.* m.
VI. K.	Acontii & Emeriti mr	*Salme Ducissa* ⊖

AVGVSTVS

IIII. N.	Stephani Pap. & mr	*Adilbertus Abb.*
VII. ID.	Afre v. S. Donati mr	*Diepoldus*

SEPTEMBER

VIII. ID.	Magni mr.	*Sophia* ʘ
VIII. K.	Conceptio S. Isah	*Heinricus Come: & Monachus* ʘ
V. K.	Cosme & Damiani mr	*Richmha*

OCTOBER

IIII. K.	Meviolfi Diac. & conf.	*Bertha* ʘ
V. K.	Nat. Apost. Simonis & Iude	*Bolih Dux*

NOVEMBER

VIII. K.	Crisogoni mr	*mahthilt*
II. K.	Andree ap.	*margarete*

DECEMBER

K. DEC.	Candidi mr.	*Adilhett Comitissa*
III. ID.	Damasi pape	*victoria* m.
XVI. K.	Ignatii epi & mr	*Boppo Comes* ʘ *Gernot m* °

Codex igitur hic duobus ligneis operculis tegitur, quae foris argentea lamina ita circumdat, ut ex una quidem parte aream in medio relinquat, Imagini Iesu Christi Cruci affixi, sculptique in optimo ligno coloris subflavi aliisque figuris excipiendis sit satis, quemadmodum ex aere incisa Tabula eiusdem magnitudinis, quam tibi V. C. ob oculos pono, poteris cognoscere (*a*). Alterius vero duo anima-

lia

[*a*] Hanc vide in principio huius Dissertationis.

lia medium ſpatium anguſtius occupant; Leo ſcilicet, & Gryphus ad manſuetudinem ita compoſiti, ut bipedum in morem erectis cruribus ſe ſe amplexantes, quaſi in gratiam invicem redire videantur: arcanum fortaſſe heic latet, quod Oedipo interprete egeat. Lamina autem argentea ſex orbicularibus ſpatiis ex aequo diſpoſitis, graphio leviter delineatis, ornatur. In hac Tabellae facie ſuperius quidem Aquilam, Leonem inferius; in reliquis vero quatuor e latere diſpoſitis, Dracones, ſeu Baſiliſcos alatos videas.

Redeo ad primam, itemque nobiliorem Tabulam. Haec in ſuperiore orbiculari ſpatio argenteae laminae Agnum diademate ornatum exhibet; qui pede dextro a terra elevato flexoque Crucem ſuſtinet, cui parvum Vexillum appenſum eſt. Neminem praeterit, eum hoc hieroglyphico Agnum ſignificari, de quo Iſaias (*a*), & Ieremias (*b*) Prophetae multo ante, velut in aenigmate, loquuti ſunt; quemque Ioannes Baptiſta clarius nobis monſtravit his verbis (*c*): *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata Mundi*. Veteres porro Chriſtiani, Sacr. Scripturarum Interpretes fidiſſimi, ſub hac myſtica ſpecie frequentiſſime Ieſum Chriſtum in picturis, & muſivis, quibus veteres Romanae Baſilicae abundant, ſibi ipſi repraeſentabant; ſed & ſub Boni Paſtoris typo eas ornabant, ut tibi, & Eruditis omnibus manifeſtum eſt. Cuius myſterii penitiſſimam rationem viri doctiſſimi afferentes, inter arcana noſtrae Religionis cenſuerunt, *ut Crux Sanctiſſima occultaretur gentibus, quibus viſa eſt ſtultitia* (*d*), ſed

(*a*) c. 16 v. 1. & c. 53 v. 7. (*b*) c. 11. v. 19. (*c*) Matth 1|29.
(*d*) Aringh. Rom. Subter. L. IV. c. XIV. pag. 109. & L. VI. c. XX. pag. 556. Tom. II.

Sed *quis*, utar ad meam eruditionem Clarissimi Ciampini verbis (*a*), *vel leviter in sacra Historia versatus ignorat, Christianos antiquos huiusmodi emblematibus potiora Fidei sacramenta ab infidelibus irrisoribus vindicasse? -- simul itaque exponebatur Dominicae Passionis veritas, Imagine Christi Domini in Cruce pendentis, proposita simul eiusdem innocentia; idque conquisitis ad hoc aptissimis Symbolis Sacrae Paginae graphice exhibebatur*. En duo pulcherrimi versiculi, quos idem doctissimus Vir descripsit ex Porta S. Pudentianae, ex pario marmore, atque elegantissimae structurae, quique Christum passum triumphantemque sub utroque typo Pastoris, & Agni, ostendunt:

✠ *Hic Agnus Mundum restaurat sanguine lapsum*
Mortuus & vivus idem sum Pastor & Agnus

In eo, quod in inferiore laminae parte positum est, orbiculari spatio Mulieris ectypon vides. Huius caput infula tegitur: manu dextera palmam, calicem sinistra sustinet: vestitu amicta regio, Pontificali pallio pectus ornata est. Quis non videt hic Sanctam Matrem Ecclesiam in omni decore suo & in suae plenitudine potestatis? Haec scilicet est illius Agni Sponsa, ex cuius pede Sanguinis flumen decurrit, quod torrentis instar mysticam illam Civitatem Dei fecundat, & exhilarat. Testis de illo Ioannes (*b*): *Vidi Agnum stantem tamquam occisum:* de Sponsa vero multo ante David cecinisse videtur (*c*): *Fluminis impetus laetificat Civitatem Dei*. Corona, & amictus regius aeterni Sacerdotis Iesu Christi Sponsam optimae decet: pallium vero arbitrium, potestatemque ab eodem ipsi

(*a*) Vet. Monum. c. III. pag. 27. c. 28. Tab. XV. & c. XXIII. Tab. LIV. pag. 225. & c. XXVI. pag. 240.
(*b*) Apoc. c. 5. v. 6. (*c*) Psal. 45. v. 4.

ipsi collatam praeclare significat. Ex multis symbolis, quae palmae tribuuntur, duo illi convenire maxime crediderim, ut scilicet tum victoriam, quam, dum ad sacram Baptismatis aquam suscipiuntur, eius filii fugato daemone, referunt; tum eam, quam ex eius hostibus, atque insectatoribus ipsa consequitur, designari intelligamus. Nec sane alia de caussa doctis viris videtur a S. Ioanne in sua Apocalypsi ss Martyribus palma tributa; quem postea Pictores omnes sunt imitati. Calix vero ideo illi, ut opinor, appingitur, ut ipsum Agni nostrae salutis caussa mactati sanguinem, nullo pretio contra aestimandum, collegisse edoceamur. Supersedebo, nec quidquam dicam de quatuor Evangelii Scriptoribus, qui utrinque circumpositi sunt, cum post tot Sacros Interpretes, Tu quoque hanc spartam adornandam susceperis, in superlaudata Dissertatione V. Cl. Blanchino inscripta. Satis igitur sit, si eos quaedam veluti munitissima Ecclesiae propugnacula adversus hostiles impetus animadvertamus. Verum ad ea, quae hoc veluti ambitu continentur, dispicienda properemus.

Crux in altitudinem summe producta, cui divinus nostrae salutis Auctor suffixus est, praeeminet. Hic I. C. pro omnibus hominibus Aeterno Patri reum sponte se sistit: (a) *oblatus est, quia ipse voluit*; & quemadmodum S. Thomas (b) ex libro Exodi (c) desumit: *Actus Pontificis*, inquit, *est*, *ut offerat dona*, *idest voluntarie oblata*, *non extorta*. Huic Sacrificio reliquae etiam duae SS. Trinitatis personae intersunt. Pater scilicet Aeternus, qui sanctissimo atque aeterno Sacerdotio Filium efficit,

(a) Is. c. 53. v. 7. (b) In Ep. S. Paul. ad Hebr. Lect. 1. in cap. 5. pag. 469. Oper. T. VII. edit. Venet. 1747.
(c) Exod. 25. 2. & 55. 5.

cit, iuxta Apostolum ad Hebraeos scribentem (*a*): *Sic & Christus, non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad me* (Aeternum Patrem intellige) *tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*. Adest Spiritus Sanctus, & quidem iure optimo, cum Iesus eo extimulante, sanguinem in hoc Sacrificio effuderit, ut idem Angelicus Doctor (*b*) profitetur: *Spiritus Sanctus, cuius motu & instinctu, scilicet caritate Dei & proximi hoc fecit*. In perangusta ligneae Tabulae peripheria, verba quaedam adeo negligenter, aut si in spatii brevitatem culpam mavis conferre, adeo presse & ineleganter ab Artifice scripta sunt, ut nonnisi summa cum difficultate legi possint. Sunt autem in Diptychi vertice: PATER. FILIVS. SPS. SCS. (h. e. SPIRITVS. SANCTVS). In cornu d. IOHANNES. MICHAHEL. MARIA. In laevo: MATEVS. GABRIGEL. IOHANNES. SYNAGOGA. In parte autem extrema: LVCAS. ECCLESIA. MARCVS.

An Crucis supplicium Romanis, an potius Hebraeis familiarius esset, omitto querere. Satis enim multa in hanc rem ex recentioribus Iustus Lipsius (*c*), Bartholinus (*d*), Calmetius (*e*), ac Serryus (*f*) disputarunt: illud statuo, Praesidem Romanum in Hebraeorum civitate Crucis supplicio, quo nullum turpius per ea tempora esset, *crudelissimum* insuper, *teterrimumque*, uti illud vocat Cicero (*g*), & Iesum Christum affecisse. Crucem porro hanc eadem prorsus forma fuisse, quam nobis hic

[*a*] loc. cit. c. 5. v. 5. (*b*) loc. cit. (*c*) De Cruce c. 11. 12. & 13 Lib. 1, pag 1169 & seqq. Oper Tom III.
(*d*) de Cruce § 3 pag. 123. (*e*) Comment in Matt. c. 27. v. 32. T. VII. pag. 250. (*f*) Exercit. LIII. de Christo n. 1. pag. 367. (*g*) In Ver. 5.

hic artifex exhibet, ex duobus lignis compactam, non *decussatam*, non *commissam*, sed *immissam*, omnes fere inter se convenire videntur, a quibus ne nostrorum quidem temporum consuetudo recedit. Sed hac etiam de re iidem ipsi Scriptores erudite. Quamquam Serryus (*a*) I. C. Crucem T grecam literam, retulisse contendat, proindeque inter *compactas*, alterum Crucis genus, redigit. Tum in eo totus est, at persuadeat, eam immissae formam induisse, ob Tabellam inscriptam, quam posteaquam Christus clavis confixus fuerat, Pilatus appenderit. Licet vero tantus Vir sententiam suam vetustissimorum Patrum, atque Scriptorum auctoritate confirmare conetur; tamen eam falso nixam fundamento non minus perspicue, quam docte demonstrat Prosperus Cardinalis LAMBERTINVS (*b*), qui ob praeclaras virtutes, & immortalia merita ad summum Pontificatum evectus, hodie feliciter regnat, atque utinam diutissime regnet, BENEDICTVS XIV. Is igitur Serryi sententiam oppugnat, atque infirmat auctoritatibus, & argumentis, quibus alii immissam, non commissam Christi Crucem fuisse tuentur; inter quos Iustus Lipsius, Casalius, Baronius, Calmetius, Ayala, Cardinalis Gottius. Et sane veteres Picturae facile id nobis etiam persuadent: quamquam Lipsius quasi dubitanter ita concludat (*c*): *Tamen sunt, qui de commissa, sive de Tau forma, contendunt, nec damno, etsi diffideo*.

Porro in nostra Cruce Titulus, sedile, suppedamentum desiderantur. Equidem omissa disputa-

O tione

(*a*) Ibid. n. v. pag. 371. (*b*) Annot. sopra le Feste del Sign. della Fer. festa n. CCLXXI. & seqq. pag. 128.
(*c*) loc. cit. c. x. pag. 1169.

tione quid de iis dicendum sit (mirifice enim in hoc ss. Patres & Interpretes, aliis in alia abeuntibus, inter se diffident) nulla alia de caussa id factum existimo, quam quod noster Artifex in tam tenui, & eleganti opusculo omnino haec servare minime potuerit. Forsitan de industria, si ita placet, Titulum non apposuit; aut ideo quod cum Romani (quemadmodum Suetonius narrat (*a*), & apud Eusebium (*b*) licet animadvertere, in ea scilicet insigni Epistola, quam Servi Christi apud Viennam & Lugdunum Galliae Civitates degentes, scripserunt Fratribus per Asiam, & Phrygiam constitutis) ita rei collo tabellam quamdam, in qua paucis eius mortis caussa innueretur, suspendere solerent, ut ante pectus penderet; id ipsum in Christo, dum ad supplicium duceretur, servatum sit; non enim de iis dispuio: hoc tantum dico, quin Titulus Christi affixus fuerit dubitationi locum non esse, si quidquam Evangelii Scriptoribus credimus, qui hoc apertis verbis declarant. Quid enim S. Matthaeus (*c*)? *Et imposuerunt super caput eius caussam ipsius scriptam*. Quid S. Marcus (*d*)? posteaquam illum in Crucem sublatum descripsit his verbis, *crucifixerunt eum*, statim subdit: *& erat titulus causae eius inscriptus*. Quid S. Lucas (*e*)? *erat autem*, inquit, *& superscriptio scripta super eum*. Quid denique S. Ioannes ocularis testis (*f*)? *scripsit autem*, ait, *& titulum Pilatus, & posuit super Crucem*. Quid? quod nullus Evangelistarum de hoc titulo ante Iesu Crucifixionem scripto, aut tam-

(*a*) In Caligul. c. XXXIII. pag. 61 & in Domit. c. X. pag. 113
(*b*) Hist Eccl. L. 5 c 1. pag 155. edit. Mogunt G-L.
(*c*) c. 27. v 37. (*d*) c. 25. v. 26. (*e*) c. 23 v. 38.
(*f*) c. 19. v. 19. & 20.

tamquam ab eius collo pendente, loquantur; ſed *poſteaquam crucifixerunt eum*, illud *Cruci affixum*, aut, *ſuper caput eius;* vel, *ſuper eum;* denique, *ſuper Crucem poſitum* ex Praeſidis voluntate ſinguli commemorant. Qui plura cupiunt, adeant Ioſephum Caracciolum, qui integrum libellum *de Titulo Crucis* edidit. Cur interim in hac noſtra Cruce deſideretur hic Titulus, praetereo inquirere; quemadmodum etiam, an Tabellae ſuſpenſae, & in modum columnae, non clavis in Cruce confixae inſcriptus eſſet. Cl Serryus (*a*), ex Nicephoro (*b*) deducit, non ligneam Tabulam, ſed Columnam ſupra Chriſti Crucem, quae per ſe ſtaret, fuiſſe poſitam; cum aperte Calliſtus de Tabula ἐν εἴδει ϛήλης, *in morem columnae* habeat; quin & fruſtra doctiſſimus Vir ſententiam ſuam hinc conatur defendere de Cruce *immiſſa*, & quatuor angulos formante ex ſupperadita Tituli columna, ut paullatim immiſſae figuram, nulla habita Columnae, ſeu Tituli diſtinctione, referret.

Quatuor clavis confixum I. C. nobis Artifex exhibet. Et ſane, quin iis pedes, manuſque terrebratae fuerint, dubitare non poteſt, niſi qui fidem ipſam in diſcrimen vocet; ut notat etiam piiſſimus, ac doctiſſimus Cornelius a Lapide (*c*), qui *dogma Fidei*, inquit, *eſt, Chriſtum non funibus, ſed clavis Cruci fuiſſe affixum*. Teſtem huius rei locupletiſſimum habemus Prophetam Zachariam (*d*), qui tanto ante I. C. in Crucem ſublatum proſpexit, & vaticinatus eſt in haec verba: *& aſpicient ad me, quem confixerunt;* utique clavis, ut apertius capi-

O 2 te

(*a*) loc. cit. (*b*) Hiſt. Eccl Lib. VIII. c. XXIX pag 394. edit. Francof. (*c*) Comm. in Matt. c. 27. v. 35. pag. 413.
(*d*) c. 12. v. 10. & c. 13. v. 6.

te sequenti declarat, dicens: *quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum*? Hoc ipsum crudelitatis plenissimum supplicium regius Vates mente & animo volvebat, cum in persona Christi loquebatur (*a*), *foderunt manus meas, & pedes meos*. Qua de re ideo sacros Evangelii Scriptores siluisse videntur, quod satis aperte Prophetae locuti essent, quos adire facile possemus, ut erudiremur; Isaias praesertim, qui quidquid cruciatuum Christus perpessus fuerit, accuratius in antecessu descripsit, quam facere vix potuisset, si ipsemet oculis eadem hausisset, ut ante nos S. Hieronymus (*b*) animadvertit, cum de illo pronunciavit, *non prophetiam mihi videtur texere, sed Evangelium*. Addam & notissimum aeque ac luculentissimum testimonium S. Ioannis (*c*), qui rem hanc, si in dubium revocari posset, certissimam redderet. Ita enim ille Thomam Apostolum, qui Christum resurrexisse haud ita facile in animum sibi peterat inducere, loquentem refer: *Nisi videro in manibus eius fixuram clavarum, & mittam manum meam in latus eius, non credam*. Nec ulli suffragatur S. Hilarius (*d*), qui cum clavis etiam funes adhibitas aperte scribit ad corporis pondus relevandum: quibus revera haud opus fuisse videtur anatomices peritis, uti videre est apud Nicolaum Fontanam (*e*) in sua *Responsione* ad hanc ipsam quaestionem. Quod si secum ipse reputasset S. Hilarius, Christum Dominum statim atque sanctissimam Animam in manus Aeterni Patris expiravit, a Cruce ablatum fuisse, statuisset pro-

(*a*) Psalm. 21. v. 18 (*b*) Ep. LIII. ad Paulin. n. VII. col. 277. Oper. T. 1. (*c*) c. 20 v. 25. (*d*) De Trinit. L. X. n. 13. col. 328. T. II. edit. Veron

(*e*) Exst. cum Bartholin de Cruce pag 264.

profecto, non opus fuisse funibus, quibus ad reos suspendendos utebantur, qui licet clavis transfixi, tamdiu a cruce pendebant, donec eos tempus absumeret. De Clavis Dominicis consulendi supra relati Auctores; sed praecipue Cornelius Curtius, contra Daniellem Mallonium, qui integrum hac de re Tractatum vulgavit.

Porro Clavos hos non tres, sed quatuor numero fuisse, tam clarum paene dixerim, quam quod maxime Sanctorum Cypriani, Augustini, Gregorii Turonensis, & Innocentii III. quos laudat Curtius (*a*), deferendum est auctoritati, atque aliorum secum ita sentientibus abeo relatis. Inter recentiores non omittendus, immortalis memoriae vir, Philippus Bonarrotius (*b*), qui hunc de quatuor Clavis sententiam antiquioribus Crucifixi iconibus fulciri maxime animadvertit; & Lambecium affert, qui eo operam suam contulit, ut nonnullas, quas ex veteribus Sacris Codicibus delineatas imagines Caesareae Bibliothecae inseruit, nobis exhiberet. Quandoquidem autem de miniatis Codicibus incidit sermo, ne illud quidem praetermittendum mihi est, in nostro etiam Gertrudiano Psalterio Christi Imaginem minio depictam conspici, quae quatuor & ipsa clavos habet, estque ad Graecanicum ingenium, quod etiam nunc hanc de quatuor Clavis Dominicis traditionem mordicus tenet, delineata. Quamquam Cl. Bonarrotio non ita videtur reiicienda sententia altera, ut Scriptoribus iisque antiquis careat. Ita enim, ait, sensit Nonnus, qui ineunte seculo v. floruit: ita auctor Graece Tragoediae, *Christus patiens* inscriptae; cuius tamen auctoritati parum vir ipse fidit; quod eam non vetustis temporibus, sed re-

(*a*) De Clav. Dom. c. III: & IV. pag. 17. & 26. & c. VI. pag. 76.
(*b*) loc. cit. pag. 263.

recentioribus inscriptam fuisse propugnet. Quaerit interim eruditissimus Vir quonam tempore initium duxerit consuetudo, quae hodie servatur, pingendi Crucifixi Iesu Imagines pedibus uno super aliud positis, clavoque uno transfixis: putatque primos, qui ita eas pingerent, fuisse Cimabovem, & Margaritonem, qui ambo saec. XIII. inclinante florebant, cum Florentiae in Templo S. Crucis grandes illas Crucifixi Imagines coloribus exprimerent. Aliam tamen apud Curtium (*a*) habemus huius rei originem, deductam ex Luca Tudensi contra Albigenses; nempe, ab hisce Haereticis manasse, qui foede ac impie Sanctorum Imagines violantes, Christi etiam Crucifixi utrumque pedem uno tantum clavo confixerint, cum antea binis pingeretur.

Quaeri etiam a Sacris Interpretibus solet, num I. C. nudus omnino in Crucem sublatus fuerit. Evangelii Scriptores haud obscure hoc significare videntur per haec verba apud Ioannem (*b*): *Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius -- & tunicam*; quibus consonant & ceteri. Neque enim dubium est de ea tunica heic sermonem esse, quae omnes corporis partes obtegeret. Psalmorum autem Scriptor ex persona Christi, pudorem, quem subiit nuditatis caussa, declarat, cum ait (*c*): *ipsi vero consideraverunt, & inspexerunt me*. Sententiae huic plerique ss. Patrum & Interpretum calculum adiiciunt, Christum Adamo comparantes, qui peccati nondum labe inquinatus, nihil toto corpore habebat, *quod puderet*, ut S. Augustinus ait a Lambertino (*d*) citatus. Quae cum ita sint, nihil aliud in caussa fuisse putandum est, cur Artifex noster Christum corporis pudendis ve-

(*a*) loc. cit. c. v. pag. 75. (*b*) c. 19. v. 23. (*c*) Psal 21. v. 19.
(*d*) loc. cit. n. CCLXXVII pag. 131.

velatis exhiberet, nisi quod honestati spectantium parcere, laudabilemque ceterorum inveteratam consuetudinem sequi maluerit.

Ex vulnere, quod sub dextero latere hasta confosso hians, & sanguine manans, in hac nostra Crucifixi Icone ostenditur, vere coniicere possumus, illum nobis iam vita expertem Christum Dominum ob oculos ponere voluisse. In quadam Clementina anathematis sententiam Clemens V. (*a*) tulit contra eos, qui Iesum Christum, antequam Patri spiritum redderet, hasta percussum in vulgus spargebant, ut sanguinem cum aqua ex vulnere miraculo defluxisse negarent. Operae quidem pretium est hac de re consulere semper cum laudis praefatione nominandum Cardin. de LAMBERTINIS (*b*), qui Haereticorum audaciam retundens, miraculum illud omnino cum SS Ambrosio, Augustino, Cyrillo Alexandrino, & Theophylacto defendit; nec humores illos mixtos exiisse, sed distinctos diiudicat. Verum, cum Evangelistae, Christo iam mortuo, latus eius vulneratum fuisse satis aperte testantur, quid opus est pluribus?

Promissos Crucifixi huius capillos, & ex una tantum parte defluentes, eiusque brevem admodum barbam si consideremus, antiquissimi Diptychi Rambonensis Crucifixum apud Cl. Bonarrotium (*c*), [quamvis in eo omnino imberbis appareat] nec non alterum ex veteri Evangeliorum Codice apud Lambecium, ibi descriptum recordamur; quibus, ni fallor, veteres omnes Imagines conformantur.

Superest modo ut videamus, an, quod a multis saepe agitatum est, spinea Corona Capiti imposita

O 4 Chri-

(*a*) Clem. un de Sum. Trin & Fid. Cath.

(*b*) De Serv. Dei Beatif. L. IV. P. 1. c. XXXI pag. 291. edit Patav.

(*c*) loc cit. pag 270.

Christus Cruci fuerit affixus, an vero secus, quemadmodum in nostra Tabella exhibetur. Licet enim nihil certi, ad hoc quod attinet, ex SS. Evangelistis erui possit; tamen doctissimus Card. de LAMBERTINIS (*a*) pium esse, & cum ratione sentire eum autumat, qui credit, Christum huiusmodi corona non caruisse cum Crucem ascendit. Tertullianum in primis affert, qui conceptis verbis ait: *inhaerens Crucis cornibus, & corona spinea in capite eius circumdata*. Tertulliani sententiam Origenis auctoritate confirmat, qui coronam nunquam Christi capiti detractam fuisse scriptis mandaverit. Antiquis hisce Scriptoribus recentiores addit, Durandum, Mallonium, Ayalam, Svaresium, aliosque, quos apud eundem summum Theologum videsis.

Vbi eius aetatis V. C. qua quid actum sit, scire voluimus, desunt Scriptores, quos consulamus; ab iis, qui propius vixerunt, & ceteris antiquiores sunt, non discedendum esse, nemo sanus non dixerit. Quandoquidem autem nihil hac de re Evangelistae tradiderunt, licet aut oculares testes ipsi fuerint, aut eadem aetate floruerint, Tertulliani & Origenis auctoritates, utpote ceteris in hac re antiquiores, pluris quam reliquae, nobis esse debent. Et sane iis maxime nituntur praestantissimi illi Viri, qui Christum coronato capite in Crucem fuisse actum defendunt. Eorum ego doctrinae, & meae in illos summae observantiae nihil detractum volo, dum exercitii gratia loca, quibus sententiam suam ipsi tuentur, tantisper perpendo. Ac primum quidem quid Origenes scripserit attendemus.

Equidem ita sentio, locum Origenis (*b*) de spinea Corona Christi capiti *semel imposita, & nunquam*

(*a*) Annot. del Ven. Santo n. CCLXXVIII pag. 131. [*b*] In Matth. 27. 27. Hom. 35 n. CXXV. pag. 919. T. III. edit Paris. 1740.

quam detracta, non solum ab illis non esse, sed contra sentientibus maxime favere. Do itaque libens, ultroque concedo, coronam hanc, si detrahi debuisset, ut vestis non consuta exueretur, denuo affigi potuisse: nec a Mallonio (*a*) dissentio: qui ita sensisse Origenem est arbitratus, ut nunquam detractam coronam dixerit, quae vix ablata statim maiore cum cruciatu reddita fuerit; concedo, inquam, haec omnia si haec tantum Origenis verba attendantur, *semel imposita nunquam detracta*. Attamen si locum integrum excutiamus, hoc sibi voluisse Origenem, fidenter negari posse mihi quidem videtur. Age enim.

Postquam Origenes verba ab Evangelii Scriptore Matthaeo mutuatus, quomodo Romani milites I. C. vestibus expoliarint, ludicrisque regalibus insignibus induerint, ut ludibrium populo esset, quod invisum Regis Iudaeorum nomen assumpsisset, diligentem admodum narrationem pertexuerit, huiusce facti mysticam & moralem sententiam explicat, his verbis: *Ergo, & nunc suscipiens Dominus coccineam chlamydem, in se sanguinem mundi suscepit: & in spinea illa corona suscepit spinas peccatorum nostrorum intextas in capite suo*. Tum Scriptoris sacri eodem prorsus modo narrationem prosequitur, & iniuriis ac contumeliis, quas a militibus sub ridicula illa Regis specie patientissimus Iesus proferre coactus fuit, recensitis, ei, attrita illa purpurea veste detracta, suam redditam fuisse tradit: deinde, *& de chlamyde*, inquit, *scriptum est, quoniam denuo spoliaverunt eum chlamydem coccineam*. Et sacros Evangelistas nunquam de corona detracta verbum fecisse animadvertens, subdit: *de corona autem spinea nihil tale Evangelistae scripserunt*.

(*a*) Elucid. Stigm. Sac. Sind. c. 12. n. 18. apud Lambert. loc. cit.

runt : quos quidem hac de re siluisse existimat; *propterea quod & nos quaerere voluerunt exitum rei de corona spinea semel imposita, & nunquam detracta*. Origenes igitur, nisi vehementer erro, non id sibi voluit, haec cum scriberet; ut corona, Christi capiti affixa, nunquam inde avulsa fuerit; sed nos tantum admonuit, arcanum quiddam sacr. Scriptorum silentio obvolvi, cuius rationem in obscuro abditam nobis expiscari liceat. Si iis verbis haud dubie significaret Origenes, *coronam semel impositam, nunquam fuisse detractam*; cur, quaeso, nos *exitum rei quaerere* quodammodo hortaretur; *de corona spinea semel imposita*, prout Evangelistae testantur, *& nunquam detracta*, quod ipsi nobis nusquam scriptum reliquerunt? In hoc vero silentio morale quidpiam Auctor agnoscit; putatque coronam illam idcirco in venerando Christi Capite absumptam fuisse; ut nos scilicet intelligeremus, spinas, idest peccata, quae antiquitus capiti nostro adhaeserant, ab illo bonorum omnium Auctore in Caput suum fuisse translatas, ne quid amplius nobis nocere possent: *Ego igitur arbitror* (ipsissima Originis verba) *quoniam spinea illa corona consumta est in Capite Iesu, ut iam non sint spinae nostrae antiquae, postquam semel eas a nobis abstulit Iesus super venerabile Caput suum*. Neque vero video, cur arcanum quoddam appellari meruerit silentium eius rei, quae nunquam fuerit. Quid enim mirum est, Evangelii Auctores de Corona detracta nullam fecisse mentionem, si haec detracta nunquam sit? An non ipsi illi disertis verbis chlamyde Christum exutum fuisse testantur? cur non etiam de Corona tale quidpiam scripsissent, si revera illa quoque fuisset avulsa? Tantum abest, ut hoc infirmet sententiam nostram,

ut

ut magis ac magis eam mihi quidem confirmare videatur. Cum ergo regias vestes, quibus ad contumeliam indutus fuerat I. C. ponere iussus sit, nonne id etiam consequitur, omnibus, quae ludicram hanc Regis speciem constituebant, corona scilicet, & calamo, quem quasi quoddam contemnendum sceptrum illi tradiderant, exui oportuisse? Et tamen de posito calamo nec vola, ut dicitur, uspiam, nec vestigium. An vero, quod de ablato calamo nullibi mentio, quis Christum cum calamo confixum fuisse posset arguere? Ridicule. Quare etiam hoc de calamo silentium iure *mysterium* appellat Origenes. *Si autem & de calamo, quem posuerunt in dextera eius, aliquid dicere convenit, huiusmodi dicimus rationem. Calamus ergo ille mysterium fuit sceptri vani*. Coniecturam hanc Origenes ipse [*a*) aliqua ratione fovere videtur ex iis, quae de Crucis Titulo paullo infra edisserit, illum Coronae substituens: *sive occasione*, inquit, *sive veritate Christus Rex pronunciatur, & omnis littera Regnum eius testatur, sive Graecorum, sive Romanorum, sive Hebraeorum: & pro corona super caput eius scriptum, hic est Iesus Rex Iudaeorum*. Profecto qui ita scribit, sine Corona fuisse Christum, cum Titulus supplicii caussam continens Cruci affigeretur, sensisse facile sibi quisque persuadeat. Quid quod nulla historiarum monumenta extant, quae tam barbarum, atque immane supplicii genus, sive Iudaeis, sive Romanis in usu fuisse declarent? An non hac etiam de caussa vere videmur posse dicere, minime credibile esse, vel Christum spinis coronatum, in hominum conspectum a militibus fuisse productum? Suffragari certe videtur huic coniecturae vel Tertullianus (*b*) ipse, qui licentia quadam mili-

tari

(*a*) loc. cit. n. 130. pag. 921. [*b*] De Coron. Milit. c. ix. pag. 106

cari illud factum fuisse opinatur, ut Christo Domino spineam illam coronam in Praetorio per ludibrium imposuerint; quod scilicet Romani seu nimia laetitia elati, seu in libidinem effusi frequenter coronari solerent: *Tamen nec illam*, inquit, *impietatis contumeliae coronam populus conscivit. Romanorum militum commentum fuit ex usu rei saecularis, quam populus Dei nec publicae unquam laetitiae, nec ingenitae luxuriae nomine admisit.* Licet igitur id sibi licuisse milites Rom. putaverint, nimirum ut reo Iudicis quidem, sed regiis tamen ornato insignibus illuderent: licet ipse Romanus Praeses iisdem indutum populo ostendere semel, atque iterum non dubitaverit; tamen, praeterquamquod, ut ceteri Evangelistae testantur (*a*), *postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis eius, & duxerunt eum ut crucifigerent*: tantum profecto licentiae illos arrogasse sibi, ut eum ad locum supplicii per Vrbem trahentes, palam regio ornatu spectandum exhiberent iis, quos ad invisum Regis nomen adeo iracundia ac stomacho exarsisse viderant, ut seditionem ipse Praeses timeret: vix, aut ne vix quidem licet suspicari. Nova enim huius nominis appellatione commota concio est, statimque exclamavit: *Tolle, tolle; crucifige, crucifige; Non habemus alium Regem, nisi Caesarem* (*b*): quae quidem satis ostendunt, eos, qui vix post querelam Praesidis sententiae acquievisset (*dicebant* enim *Pilato, noli scribere Rex Iudaeorum: sed quia ipse dixit: Rex sum Iudaeorum*) (*c*) minime passuros audaciam istiusmodi militum, nec sibi temperaturos, si forte quem ceteris iam spoliassent ii Regis in-

[*a*] Mat. c. 27. v. 31. Marc. 15. 20. [*b*] Io. c. 19. v. 15. (*c*) Ibid. c. 29. v. 21.

infignibus, illum corona porro redimitum vellent, quominus impetum facerent, atque invifum infigne reo ipfi detraherent. Adeo tandem certum firmumque Calmetio videtur (*a*), Chriftum abfque corona Cruci fuifse fuffixum, ut contrariam Tertulliani, aliorumque fententiam *a veritatis fpecie abhorrere* litteris mandare minime dubitaverit. Atque hoc quidem Vir doctiffimus afserit fimplici apertaeque Evangelici Scriptoris narrationi innixus, qui milites, poftquam mitiffimum Iefum ad fatietatem ufque ludibrio habuerunt, fictis regalibus ornamentis eum fpoliafse, fuifque indutum veftibus ad Calvarium duxifse, perfpicue affirmat (*b*): *& poftquam illuferunt ei &c.* Nec fane inter eius veftimenta cenferi debent corona, non chlamys, non calamus, five fceptrum, Denique obfcurus, atque difficilis locus hic Origenis Tillemontio (*c*) quoque vifus eft; ait enim: *Origene paroift croive, qu'il* (Chriftus) *avoit encore la couronne d'epines fur sa tefte*: additque in Notis, idem vifum fuifse etiam Tertulliano, quem valde dubitat eadem fenfifse.

Equidem is aliquanto videtur ad intelligendum obfcurior. Vbi de Ifaaco, montem afcendente cum lignorum fafciculo, quae facrificio efsent opportuna, verba facit (*d*); *Hoc lignum*, inquit, *fibi & Ifaac filius Abrahae ad facrificium ipfe portabat, tum fibi eum Deus hoftiam fieri praecepit; fed quoniam haec fuerunt Sacramenta, quae temporibus Chrifti perficienda fervabantur: & Ifaac cum ligno refervatus eft, ariete oblato in vepre cornibus haerente: & Chriftus fuis temporibus lignum humeris fuis*

(*a*) loc. cit. in S. Matt. c. 27. v. 35. pag. 259. (*b*) Matt. & Marc. loc. cit. (*c*) Memoiry Eccl. art. XVIII. pag. 41. T. I edit. Veron. (*d*) Contra Iud. c. XIII. pag. 51.

ſuis portavit, inhaerens cornibus Crucis, Corona ſpinea in capite eius circumdata. Si Chriſti Sacrificium exemplo arietis, quod Tertullianus affert, ex aequo debet reſpondere, rem certiſſimam partium ſtudio, & diſputandi ſollicitudine dubiam facimus. Quemadmodum igitur aries prius in dumis haeſit, retentis impeditus cornibus, ductuſque poſtea, ab iiſdem ſolutus ac liber, ad ſacrificium eſt: ita etiam actum omnino eſſe cum amantiſſimo noſtrae ſalutis Auctore, ex hoc ipſo Tertulliani loco poſſumus arguere, ut non ante ad Crucis ſupplicium ſe ſe contulerit, quam ſpinis inteſtam coronam depoſuiſſet. Quae quidem Chriſti cum ariete comparatio ſatis, opinor, explicat loci huius difficultatem. Niſi malimus iis verbis, *corona ſpinea in capite eius circumdata*, moralem ſententiam ſubiicere, ita ut de multitudine peccatorum, quae per ſpineam coronam deſignantur, Tertullianus intellexerit. Eodem plane ſenſu de hoc ipſo Abrahami, & Iſaaci ſacrificio, S. Hieronymus (*a*) locutus eſt: *& videns*, inquit, *Abraham arietem inter vepres haerentem cornibus. Inter vepres, requiramus, quae ſit iſta novitas: ideſt, in multitudine circumſtantium peccatorum. Haerentem cornibus: ideſt ad Crucis cornua clavorum confixione pendentem, ſicut alio loco legimus*: cornua in manibus eius. Virorum doctiſſimorum de Tertulliano iudicium praetereo, qui eius ſcripta propter nativi Africani ſermonis proprietatem & elationem obſcura, & captu difficilia eſſe fatentur; atque adeo multis emendationibus, & correctionibus depravata; ut inter alios notavit Nicolaus Rigaltius (*b*) in ſuo ad opera huius Scriptoris iudicio. Reliquas nunc noſtri Diptychi

(*a*) Serm. de Reſur. Dom. col. 206. T. XI. (*b*) In Praef. Oper. Tertull.

chi figuras recenseamus, explicemusque, si quid in ipsis animadversione dignum invenerimus.

Quemadmodum supra attigimus, reliquae etiam duae SS. Trinitatis personae, Pater, & Spiritus Sanctus, locum hic obtinent iure suo; ut scilicet ipsorum testimonio eum, quem sub humana mortali specie latentem cernimus, divinum Filium esse non gravate fateamur. Ac Pater quidem ea manu, quae ex nube in summa Cruce posita, prodit, significatur. Haec autem significatio, ut tu, Doctissime Gori, bene nosti, non nuperum inventum est, sed vetustissimum; inde fortasse orta, quod ea, quae *ab extra*, ut aiunt, operatur Deus, manuum eius opera soleant appellari: *opera manuum tuarum Domine, quae a saeculo sunt*, dixit Psalmista (*a*), & alibi passim. Qui sane dicendi modus in sacris Libris frequentissimus est, cum omnipotentis Dei mirifica opera explicantur: nempe, *in manu forti, in brachio extento, in manu excelsa* etc. *Ego feci terram*, ait Dominus per Ieremiam (*b*), *& homines & iumenta, quae sunt super faciem terrae, in fortitudine mea magna, & in brachio meo extento*. Quae verba ferme repetit paullo infra idem ipse, loquens cum Domino (*c*): *Ecce tu fecisti caelum, & terram in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento*. Stulte porro, & maligne criminabatur Epicureus ille Celsus apud Origenem (*d*) adversus Christianos, quasi per has *Dei manus*, & similes Scripturarum voces, adscriberemus Deo formam humanae similem; cum haec figurate intelligenda esse omnes sciant, & ad nostrum captum Scripturas sacras passim loqui non ignorent. Inde etiam originem suam habuisse Symbolum hoc docti Viri suspicantur, quod ipse Deus Ta-

(*a*) Psal. (*b*) c. 27. v. 25. (*c*) c. 32 v. 17. (*d*) Contra Cels. Lib. IV. n. 37. pag. 530.

Tabulas divinae Legis nubibus Moſi tradiderit. Hinc ſculptum in nonnullis Sarcophagis apud Aringhium (*a*) Moſem, Legis Tabulas a Deo accipientem videas, qui manu ex nubecula prodeunte figuratur. Nec per abſimile ſymbolum Abrahami ſacrificium veteres repreſentarunt, manum appingere ſoliti, qua Deus Iſaacum mactari prohibens ſignificaretur. Videndus ſupralaudatus Aringhius (*b*). Sed & Bonarrotius (*c*) quemdam ex Muſeo Carpineo Sarcophagum affert; nec praetereundus Ciampinius (*d*). Appoſuit igitur in noſtro Diptycho Patrem Aeternum Artifex, ut dilectum Filium ſuum eodem prorſus modo, quo eum in monte Tabor manifeſtavit, nobis oſtenderet, ubi audita eſt (*e*) *vox de nube dicens: hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite.* Sed haec ſatis nota.

Adeſt & Spiritus Sanctus in ſpecie Columbae, inter Patrem & Filium poſitae, ut Divinitatem Verbi, Humanitate, quam aſſumpſit, non repugnante, confirmet. Antiquiſſimam fuiſse omnium Eccleſiarum conſuetudinem pingendi aut eformandi Spiritum Sanctum ſub Columbae forma, inter alios Chriſtianus Lupus diſerte teſtatur (*f*). Priſcis ſane temporibus ad exprimenda complura alia myſteria frequenter Eccleſia Columbae ſymbolo uſa eſt; ſed ea nihil profecto aliud pius Artifex, quam tertiam SS. Trinitatis perſonam voluiſse hic indicare, clare patet. Scimus etiam tum ſupra vetera, tum ſupra recentiora Baptiſteria Columbam appingi: ut divinus ille Spiritus deſignetur, qui bonorum ſuo-

(*a*) Rom. Subterr. L. II. c. x. T. I. pag. 291. 305. 309. 316. & al.
(*b*) loc. cit. pag. 305. (*c*) loc. cit. Tab. I. Fig. I. pag. 1.
(*d*) Explicat. duor. Sarcoph. Romae 1697. (*e*) Matt. c. 17. v. 5.
[*f*] Diſs. de Lept. Syn. Gen. c. v. pag. 219. Oper. T. III.

ſuorum affluentia eos ditat, qui ad ſacrum Baptiſmatis lavcarum ſuſcipiuntur; nec non ut illum ſub Columbae ſpecie in Chriſti Baptiſmate coelo delapſum recordemur. De quo, quemadmodum de gratiarum omnium copia, quibus ab eo replendus Chriſti animus erat, Iſaias (*a*) multo ante praedixerat, dicens: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit me; ad enunciandum manſuetis miſit me*. Percommode accidit, ut S. Paulinus Nolanus (*b*) SS. Trinitatem huiuſmodi ſignis deſcriberet his verſiculis:

Pleno Coruſcat Trinitas myſterio,
Stat Chriſtus Agno, vox Patris coelo tonat,
Et per Columbam Spiritus Sanctus fluit.

Ad Crucem in genua provoluta Adoleſcentula quaedam ex parte dextera viſitur, ex pedibus Chriſti fluentem ſanguinem calice, quem manibus ſuſtinet, exceptura; dextera vero manu clavem, capite coronato altiorem, tenet. Haſta, in cuius ſummitate Crux ſita eſt, humero eius dextero innititur: ex quo veſtis pendet. Linea tunica ad pedes ſubducitur, ante praecincta, pallioloque, ad cingulum uſque perducto, ſuperinduta. At parte ex altera, ſtat alia Mulier obſtipo capite, vultu ad moeſtitiam compoſito, velatis oculis. Manu dextera haſtam praelongam & ipſa, ſed cuſpide humi confixam, tenet; pendetque ex hac quoque veſtis, neſcio quae, in terram proiecta. Laeva, quae in dexterum latus extenditur, hircum cornibus apprehendit. Laxa toga fluentique amicitur ex lino; pallio ad terram demiſſo ſuperinducto. Imagines huiuſmodi, V. C. multa obvolvunt ſacramenta, quae tamen nos pro ingenioli noſtri tenuitate aſſequi & explicare conabimur.

Ac priore quidem Eccleſiam repraeſentari in an-

(*a*) c. 61. v. 1. (*b*) Ep. 12. ad Sever. pag. 193. inter Oper. SS. P. T. vi. edit. Lugd.

gusta ligni peripheria subscriptum nomen Ecclesia, nos dubitare non patitur. Ideo genibus nixa exhibetur, ut eam Christum Cruci affixum, Deum Sponsumque suum, venerari intelligamus. Adolescentiam facie praesefert iure optimo; quod cum Christus eius *Pater*, *Sponsus*, *Magister*, *Caput*, *Petra fundamentalis*, in Cruce animam efflavit, ipsa tenella adhuc esset (*a*): *Christus*, inquit Apostolus, *dilexit Ecclesiam*, *& se ipsum tradidit pro ea*, *ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam*, *non habentem maculam*, *aut aliquid huiusmodi*; *sed ut sit sancta*, *& immaculata*. Sanguinem ex vulneribus Servatoris sui manantem calice excipit; quod illo quasi lacte, enutriatur. Capacissimo vase totum sanguinem ex pedibus & corpore manantem, ipsa colligit: quod is totus, virtute in SS. Sacramentis, quibus ipsa quodammodo irrigatur, praesertim vero Baptismate, & Poenitentia, contineatur: *de latere aqua & sanguis Sacramenta in aeternum duratura*, *quae universam Ecclesiam fecundarent*: non minus sapienter, quam vere scripsit nescio quis ss. Patrum. Quapropter & S. Augustinus variis figuris, atque signis Christum fuisse praenuntiatum Iudaeis obiiciens, de Philone subdit (*b*): *Nam si ad Christum transisset*, *ablato velamine*, *Sacramenta Ecclesiae manantia ex laterae hominis illius invenisset*. Neque hoc immerito, cum Ecclesia divini Sponsi, eiusque sanguinis nullo pretio contra aestimandi, ac gratiae meritorumque omnium, in ipsa Sacramentorum institutione, heres, nova lege promulgata, relicta fuerit. Fontes vero hi, unde aqua & sanguis huiusmodi effluxerunt, ii ipsi profecto sunt, quos in manibus, pedibus, & pectore Servatoris a longe vidit Isaias (*c*) vaticinans: *Hau-*

rie-

[*a*] Ad Eph. c. 5. v. 25. & 27. [*b*] Contra Faust. L. 12. c. xxix. pag. 245. T. viii. edit. Ven. [*c*] c. 13. v. 3.

rietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Diademate caput eius apte admodum cingitur; quippe, quae Regis Regum I. C. Sponſa, atque adeo Regina: cuius capiti virtutum chorus omnis pulcherrimam coronam conſtituit; de illo legitur (a): *Videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater ſua in die deſponſationis illius*. De hac vero (b): *Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum*: quos montes ita S. Thomas (c) interpretatur: *de his ergo montibus coronatur Eccleſia, quando Principes ſaeculi ad Fidem Chriſti convertuntur*.

Clavis vero illa mirifice anctoritatem explicat, quem Eccleſia in myſtico I. C. Corpore exercet, ſeu filiolos ſuos ligare velit, ſeu ſolvere, ſeu portas coeli iisdem reſerare malit, aut claudere. Si quis autem ſcire velit, cur una tantum clavis ei tribuatur, cum S. Petro duae fere ſemper, & tres etiam affingi ſoleant; animadvertat una tantum clavi in antiqua muſiva Pictura S. Petrum conſpici, quae Romae erat an. CCCCLXXII. in Templo S. Agathae via Suburra. Affertur haec a Ciampinio (d), & de ea Bonarrotius (e) etiam meminit. Aliam muſivam Sancti Petri Imaginem cum tribus clavibus fuiſſe docet ibi Bonarrotius. Erat haec in Ottonis II. Sepulcro, quod poſtea in Cryptas Vaticanas translatum, ab Alemannio peculiari quadam Diſſertatione deſcriptum eſt, atque illuſtratum. Cum tribus etiam clavibus Sanctus iſte Apoſtolorum Princeps, teſte eodem Bonarrotio, depictus eſt apud laudatum Alemannium. Eius imago, ſi eidem

P 2 cre-

(a) Cant. Cant. (b) c. 4. v. 8. (c) In Cant. Cant. c. IV. Oper. Tab I pag 539. [d] loc. cit. c. XXXVIII. Tab. LXXVII. pag 270.
(e) loc. cit. pag. 99. & 100. & pag. 397. edit. Ven. 1728.

credimus, ex Codice quodam Auctoris Graeci picturis referto fuit exscripta. Huic porro similem picturam, & quidem Graeco penicillo, habes tu quoque, V. Clariss. in iis imaginibus Psalterii Gertrudiani, quas ego tibi perferendas curavi, ut supra memini. Rationem huius rei, afferre fortasse possumus; nimirum, per tres eas claves triplex *coelestium*, *terrestrium*, *& infernorum* imperium, quod Petro Christus contulit, praeclare significari. Verum ad Ecclesiam quod attinet, ideo illi in nostro hoc Diptycho unam tantum clavem tributam fuisse censeo, ut unam eam esse, unamque eius auctoritatem non ignoremus. Et sane non aliis illa notis in Constantinopolitano Symbolo, ut vera inter falsas dignoscatur, quam horum adiunctorum appellatione distinguitur: *Vnam*, *Sanctam*, *Catholicam*, *& Apostolicam*. Praeterquamquod hanc cum delinearet, ad illud Artificem nostrum respexisse videtur, quod apud Isaiam legitur, cum Deus Sacerdoti Eliacimo, qui Christum adumbrabat, Synagogae principatum detulit (*a*): *& dabo*, inquit, *clavem domus David super humerum eius: & aperiet, & non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat*. Atque hanc fuisse caussam existimo, cur illam cum una tantum clavi super humerum eius sublata, effinxerit: cum una, inquam; ut scilicet Monarchicum eorum Imperium, qui Petro successuri erant, exprimeret: *Primatus Petro datur, & una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstratur*; S. Cypriani verba sunt (*b*), qui integrum solidumque de *Vnitate Ecclesiae* Tractatum elucubravit. Atque hanc Vnitatem ipse Christus respexit, cum teste Ioanne (*c*) haec protulit: *& fiet unum Ovile, & unus Pastor*. Sed cum

(*a*) Is. c. 22. v. 22. (*b*) De Vnit. Eccl. pag. 397. edit. Ven. 1728.
(*c*) c. 10. v. 16.

cum idem, Petrum alloquens, inquit (*a*): *tibi dabo claves Regni Coelorum*; ideo *Claves* dixit, quod Petrus Ecclesiae caput, non solum Ecclesiam, sed etiam Ministros ipsius, repraesentaret. S. Martyr Ignatius in quadam ad Philadelphios Epistola Ecclesiam unam esse egregie demonstrat (*b*): *Hoc est*, inquit, *quae ad Patrem ducit via; haec petra, haec sceptrum, haec clavis, haec pastor, haec hostia, haec cognitionis ostium, per quod ingressus est Abraham Isaac, Iacob, Moyses, & universus Prophetarum chorus, & orbis columnae Apostoli, & Sponsa Christi; pro qua dotis loco effudit proprium Sanguinem, ut eam redimeret:* porro haec ad unitatem unius & veri Dei spectant. Et in alia ad Philippenses (*c*); quemadmodum unus Deus est, ita unam Fidem, atque unam Ecclesiam esse debere, docet: *Si enim*, ait, *unus est universorum Deus Pater Christi, ex quo omnia; unus autem Dominus noster Iesus Christus, per quem omnia; unus autem Spiritus, qui operatus est, & vim suam exercuit in Moyse, in Prophetis, & Apostolis; & unum Baptisma, quod in mortem Domini datur, & una electa Ecclesia, debet esse & una secundum Christum Fides: unus enim Dominus, una Fides, & unum Baptisma: unus Deus ex Pater omnium, & per omnia, & in omnibus* (*d*).

Cum haec scripsissem ad manus meas venit valde erudita Dissertatio, *De Nummo Argenteo Benedicti* III. P. M. anno elapso Romae edita a Com. Garampo, ex qua de una, & pluribus clavibus S. Apostolo Petro tributis, nonnulla licuit delibare. Visitur enim Sergii Papae nummus, quem Tab. V. expressum refert, in quo doctiss. Auctor putat repraesentari Claves Apostolatus S. Petri a Christo

(*a*) Matt. c. 16. v. 19. (*b*) Ep. IX fol. 84. T II Bibl. Vet. PP. (*c*) Ep. VIII. pag. 80. ibid. (*d*) 1. Cor. 8. Eph. 4. Deut. 6.

illi, ac successoribus collatas: nempe, per oblongum sceptrum, in cuius summitate ex una parte littera E adiungitur, ex altera R quaedam inversa. Quae tamen, ait, una videtur clavis, aut uno saltem manubio formata. Quod quamvis artificis imperitiae, aut loci angustiae tribui possit; animadvertit tamen ille insolens non esse, ut S. Petrus una tantum cum clavi aliquando exhibeatur. Affert exempla ex Alamannio, & Ciampinio, supra a nobis indicata. Additque se observasse inter Cimelia, quae asservantur in Museo Collegii Romani Soc. Iesu vetustam S. Petri imaginem in lamina aerea, encausto obducta, una tantum clavi insignitam. Aliam exhiberi ait, in quodam antiquo vitro Musei Capponiani in eodem Rom. Collegio, cum unica clavi. Denique aliud exemplum profert ex suis Pontificiis nummis cum unica clavi ad modum litterae F efformata, nempe in denario quodam Agapiti II. apud Vignolium (*a*).

Vestem porro, quam ex hasta seu Cruce pendere videmus, nihil aliud esse, quam non consutam Iesu Christi tunicam, haud haesitanter dixerim; cum in ea, nulla, nisi ea quae collo aptatur, scissura appareat. *Erat autem inconsutilis*, ut S. Ioannis verbis utar (*b*) *desuper contexta per totum*. Atqui haec quoque unam esse Ecclesiam significat; quam non tot errores, non tot falsae doctrinae, non tot haeresum monstra divellere valuerunt, atque discerpere; quod scilicet fundamenta iecerit primum quidem in ipso angulari lapide Christo Iesu; deinde vero in Sancto Petro, Apostolorum Principe, qui & ipse petra illa est, supra quam fundata est Ecclesia, adversus quam portae inferi nunquam praevalebunt. Quod autem milites vestimenta Iesu in quatuor partes sibi diviserint; signifi-

(*a*) Vignol. antiq. Pont. den. pag. 71. (*b*) c. 19. v. 23.

ficat Sanctam Ecclesiam per totum Orbem, nempe per quatuor eius partes, ubique regnaturam. Cum autem ad inconsutilem ventum est, miserunt sortem, nolentes eam discindere; ex quo unitatem eiusdem Ecclesiae per caritatem colligatae intelligeremus.

Superest modo, ut perpendamus, an aliquod mysterium in se zona illa contineat, qua Ecclesiae imago haec praecingitur. Nimirum ea puritas & sanctitas adumbratur, per quam Ecclesiam incontaminatam, & in quocumque opere sanctam agnoscimus. Matri, ut similes essent filii, Christus praecepit hiis verbis (*a*); *sint lumbi vestri praecincti*: praesertim vero eius Ministri & Sacerdotes, qui cingulo femora circumdati Sacrum peragunt. Quod quidem cingulum puritatis mysterium esse oratio illa indicat, *Praecinge me Domine, cingulo puritatis etc.* quae a Sacerdotibus, dum illud femoribus aptant, ex Ecclesiae praescripto dicitur: quam sane oratiunculam, vetustissimam esse docent Martene (*b*), aliique, & novissime Clariss. Dominicus Georgius Rhodiginus animadvertit (*c*).

Porro Figura altera, quae ad Crucis eiusdem pedes a laeva conspicitur, est Synagoga, ut ex inscriptione apposita aperte colligitur. Stans ideo exhibetur, quod nec Christum tamquam Patrem veneratur, nec ipsi tanquam Magistro & Doctori obtemperat. Neque enim eum nisi postquam eum morte affecit, cognovit: iuxta illud Prophetae (*d*); *videbunt in quem transfixerunt*. Velatis oculis eam scite Artifex exhibet, in quo ad illud alterum respexisse videtur (*e*), *excaeca cor populi huius, &* un-

(*a*) Luc 12. 35. (*b*) De Antiq. Eccl. Rit. c. IV art. XII. pag. 490. edit. Antuerp. (*c*) De Liturg. Rom. Pont. L. I. c. XVII. pag. 143. (*d*) Zaac. c. 12. v. 10. Io. 19. 37. (*e*) Is. c. 6. v. 10.

aures eius aggrava: & oculos eius claude, ne forte videat oculis suis. Nudum quovis ornamento caput habet, & merito; quod ornatus omnes quantivis pretii amiserit, & imperium cum servitute commutaverit. Longo pallio contegitur, quod est doloris & moestitiae signum. Vestis longa interior non videtur esse illa, quae ex lino texta, Sacerdotum proprior tantum erat. Hoc autem facile coniicio, quod nullis aliis ornata sacris indumentis apparet, quibus, ut Sacerdotes uterentur, Deus praeceperat in Exodo (*a*). Itaque oculis vultuque in terram defixo altum dolorem minime dissimulans, deiectionem suam deflet, in quam coniecta est; quod acerbissima morte suum ipsa Servatorem affecerit, & quod patientissimi Agricolae labori, diligentiae, sollicitudini, ingrata veluti vinea, non uvas, sed labruscas germinans, minime responderit. De quo ideo illa in eam audita sunt (*b*): *quid est, quod debui ultra facere vineae meae, & non feci?* Cuspis vero hastae, qua Christi latus confossum est, in terram defixa doloris, & poenitentiae argumentum est; neque enim amplius *levabit hastam in hostes suos*. Quae quidem Zacharias Propheta ad vivum expressit, cum sub Christi persona ait (*c*): *aspicient ad me, quem confixerunt, & plangent, & dolebunt*. Non pigeat hic audire S. Augustinum (*d*), tum Synagogae repudium, tum celebratas cum Ecclesia nuptias optime describentem: *Fit*, inquit, *viro dormienti coniux de latere: fit Christo morienti Ecclesia de Sacramento sanguinis, qui de latere mortui profluxit --- Quis enim non agnoscat Christum eo modo reliquisse Patrem* (respicit id quod Deus uxoris caussa dixit: *quamobrem relinquet homo patrem etc.*) *reliquiae etiam matrem Iudaeorum, veteri*

(*a*) c. 28. & 39. (*b*) Is. c. 5. v. 4. (*c*) Zach. c. 12. v. 10.
(*d*) loc. cit. c. VIII. pag. 230.

teri Testamento carnaliter inhaerentem, & adhaesisse uxori suae, scilicet Ecclesiae. Vestis autem, quae ex conversa in terram hasta deiicitur; eam ipsam inconsutilem I. C. tunicam esse, quam Ecclesiam in altum efferre vidimus, non dubie mihi videtur esse dicendum. Proiecit siquidem Synagoga unitatem suae fidei, vinculum charitatis abrumit, spei fortitudinem promissi Servatoris oblita est, cum Gentibus immixta omnem superstitionem adoptavit, eorumque idola, & vana simulacra impie adoravit.

Ad omnem denique tristitiam eam videas compositam. Vestem, gestus, personam ipsam praeter morem consuetudinemque, uti apud omnes populos fieri consuevit, praefert. Caput nudatum, detonsoque capillo, pallium oblongum, defixos in terram oculos, vultumque demissum, arma ipsa, sive hastam cuspide ad solum versam tenet; qua ratione apud Graecos, Latinosque prosequi mos erat principum virorum ferales pompas. Virgilius de utrisque testatur in Pallantis funere (*a*):

——— ——— ——— *tum moesta phalanx*

Tyrrhenique duces, & versis Arcades armis.

Et apud Tacitum (*b*) funebris Germanici pompa describitur: fascibus etiam, quae erant Consulum insignia, inversis, *praecedebant*, inquit, *incompta signa, versi fasces.*

Hirci caput, quod utraque manu Synagoga tenet, plenum mysteriorum esse, facilis est coniectura. Notum enim est, nec minus notatu dignum, duorum hircorum sacrificium, de quibus multa in Levitico (*c*). Inscripsit ibi Deus, ut Sacerdos, postquam se ipsum vituli, & arietis oblatione expiaverit, Sanctuarium ingrediatur: *suscipietque ab uni-*

 ver-

(*a*) Aeneid. Lib. XI. v. 92. (*b*) Annal. Lib. III. in princ.
(*c*) Levit. c. 16. v. 5.

versa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato -- mittensque super utrumque sortem unam Domino, & alteram capro emissario; cuius exiet sors Domino, offeret illum pro peccato; cuius autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino, & fundet preces super eo, & emittet eum in solitudinem; cumque mactaverit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem eius intra velum -- Postquam emundaverit Sanctuarium, & Tabernaculum, & Altare, tunc offeret hircum viventem, & postea utraque manu super caput eius emittet illum per hominem paratum in desertum etc. Tam hircus, qui pro peccatis hosta immolabatur, quam ille qui execrationibus dirisque omnibus devotus in solitudinem amandabatur, divinum nostrum Redemptorem praefigurabant, ut SS. Patres, sacrique Interpretes omnes uno ore testantur. Hinc de Sacrificio, quod I C. perfecit loquitur Apostolus (*a*): *neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta aeterna redemptione inventa*: & infra (*b*): *Habemus* inquit, *Altare, de quo edere non habeat potestatem, qui tabernaculo deserviunt etc* denique concludit: *exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes*.

Abuterer patentia tua V. C. tibique multiplici, atque exquisita eruditione instructo iniuriam facerem, si quidquid de huiusmodi solemnibus Sacrificiis ss. Patres scripserunt, doctique Interpretes commentariis suis illustrarunt, in compendium redigere vellem. Legendus tamen supra ceteros est S. Cyrillus Alexandrinus. Is enim in Epistola ad Acacium scripta (*c*) ostendit, qua ratione ambo isti capri Christum representarent, atque eosdem am-

(*a*) Ad Hebr. c. 9. v. 12. (*b*) ibid. c. 13. v. 10. & 13. [*c*] Concil. T. III. col. 1646. edit. Ven. 1728.

ambos in Dei honorem fuiſſe mactatos ; cuius propterea verba referam: *Deſignatur autem*, ait, *per utroſque unus & ſolus Filius, & Dominus Ieſus Chriſtus -- Nomen itaque capro immolato erat Dominus, ſorteque mactabatur; & ſancta erat ſacraque victima in typum Chriſti -- Conſiderandum eſt igitur in capro immolato Emmanuelem ſubiiſſe nomen ſecundum carnem, ad hoc ad mortis peccatique deſtructionem. In altero quoque, hoc eſt in vivo ac dimiſſo hirco eundem ſpectemus, dum in eo quod ſecundum humanam naturam patitur, non patitur ſecundum divinam, & dum carne moritur, mortis victor evadit*. Quae a me ideo etiam notata ſunto, ut falſa ac praepoſtera eorum, praeſertim vero nonnullorum Magiſtrorum Iudaicorum doctrina dignoſcatur; quos affirmare non puduit, ut *cuipiam & malo immundoque Daemoni* immolaretur, *in deſerto fuiſſe amendatum*; quemadmodum idem Sanctus Pater teſtatus eſt, qui etiam paullo ante eoſdem probe refellerat: *id autem*, ut ipſe ait, *ex ſe omnino ſtultum eſt & ridiculum*. Quamvis autem Ioannes Spencerus (*a*), qui Heterodoxus licet, multa cum eruditionis laude in hoc ipſo Levitici loco illuſtrando verſatus, nomen *Azazael*, quo hircus in ſolitudinem ablegandus appellabatur, Diabolum ſignificare contra Graecos Patres, necnon Samuelem Bochartum (*b*), quem in ſuam ſententiam trahere ſtudet, contendat; ſed & ipſi Diabolo Dei iuſſu amandatus: improbat tamen S. Cyrillum ſecutus, Chriſtianos illos, & Hebraeos, qui eum Diabolo mactari ſolitum fuiſſe pervicaciter defendunt. *Hos itaque*, inquit, *inſcitiae, & impietatis arguit merito Cyrillus in Epiſtola ad Acacium data*. Inter ceteros vero recentiores Catho-

(*a*) De Leg. Hebr. Ritual. L. III Diſſ. VIII. T II. pag. 1425.
(*b*) De Anim. Sac. Scrip. P. I. L. II. c. LIV. col. 650.

tholicos, quos consului, fuse docteque de hoc Sacrificio disputarunt, Gulielmus Hestius, Bochartus (*a*), a Lapide (*b*), Thomas Melvenda, Tirinus (*c*), Calmetius (*d*) Menochius, & alii simul collecti in nova editione Bibliae sacrae (*e*). Ego autem totam hanc de duobus hircis quaestionem eruditissimi Hestii iudicio dirimam, atque concludam: *Per caprum*, inquit, ille, *Christus significatur, propter similitudinem carnis peccati. Fit autem hic mentio duorum caprorum -- alterius qui immolatur in tabernaculo; alterius autem, qui emittitur in desertum a feris devorandus: quorum uterque Christum significat. Prior Christum passum in Civitate Ierusalem, nempe clamoribus, & accusationibus Iudeaorum; posterior Christum passum & crucifixum extra Civitatem, idque manibus Gentilium, tamquam ferorum ac barbarorum hominum*. Porro ut & hoc addam ex profana eruditione, etiam capri emissarii immolandi ritum, quemadmodum plures alios, ut docti Viri probe sciunt, ex Veteris Testamenti mysteriis in suam religionem Ethnici transtulerunt. Si enim Herodoto (*f*) in Euterpe fides habenda est, Aegyptii cum victimam Diis mactandam agerent, diris illam & execrationibus devovebant; ut *si quid mali, aut ipsi immolantibus, aut universae Aegypto futurum sit, id in caput hoc* (victimae execratae) *convertatur*. Sed prius immolatae victimae caput in forum asportabant, ut Graecis negotiatoribus venderent; iisque deficientibus in flumen proicerent.

Vtrum vero horum hircorum Artifex noster hic exhibere in animo habuerit, quo Christum nobis

[*a*] loc. cit (*b*) Comment. in Levit. c. 16. pag. 543. (*c*) ibid. c. xvi. T. I. pag 37 (*d*) In Levit. c. xvi. pag 482. (*e*) Bibl. Sac. Venetae edit. cum Comment. Var. (*f*) In Euterp. L. II. pag. 50.

bis in mentem revocaret (nisi forte uno ambos voluerit exprimere) si quis forte quaereret, alterum ego facile dixerim, quem utraque manu Synagoga apprehendit: *Et postea utraque manu super caput eius* (hirci nempe *emissarii*, sive *pro peccato*) *confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel -- quae imprecans capiti eius emittet illum*; quemadmodum in Levitico animadvertimus. Et apud S. Paulum (*a*) legitur: *exeamus igitur ad eum extra castra, improprium eius portantes;* ideoque I. C. *extra porta passus est*, ut ibi ait idem Apostolus. Quae nostra coniectura ob eam etiam rationem minime nobis displicere debet, quod Christum iam Cruci suffixum, hoc est, extra moenia Ierusalem, sive extra castra hic exhibeatur. Posterior enim hircus, ut ex Hestio discimus, *Christum passum & crucifissum extra civitatem*, significat.

In edito loco, Crucique proximo adstant utrinque Imagines duae: quae ex parte dextera stat, est Virgo Beatissima; quae ex laeva Ioannes, discipulus ille, quem diligebat Iesus, nominibus utrique appositis, IOANNES . MARIA, qui minimum a Crucis latere numquam discesserunt. Stat igitur SS. Virgo demissis oculis, tristique vultu, quem sinistra manu etiam sustentat. Eodem statu in antiquissimis monumentis visitur. In perveteri Rambonensi Diptycho apud Bonarrotium supralaudatum, ibidem & in altero, de quo mentionem ipse fecit, Civitatis Foroiuliensis. Videnda, si placet, & Tab. II. Cubiculi unici Coemeterii S. Iulii Papae, sive S. Valentini Via Flaminia apud Aringhium (*b*). Quod autem ad illud attinet, utrum Maria Cruci siccis oculis adstiterit, an vero secus; aliis in alia abeuntibus, ss. Patres, atque Interpretes, Te V. C.

non

(*a*) Ad Hebr. c. 13. v. 12. & 13 (*b*) loc. cit. L. IV. c. XLII. T. II. pag. 355.

non latet, dissentire. Pervulgatum est illud Augustini: *stantem lego, plorantem non video*. Nec desunt, qui eam nullo perturbatam animi motu, (quasi id eius constantiam minime deceret) fuisse contendent. Equidem illis minime assentior, qui eam ita fracto animo, ut lacrymis & moerore conficeretur, sibi ipsis fingunt. Attamen illud verum esse puto, Mariam Virginem & flevisse, & doluisse mediocriter. Et sane hac omni moderatione eam nobis describit Ecclesia iis verbis. *Stabat Mater dolorosa iuxta Crucem lacrymosa*, in Hymno, ut fertur, ab Innocentio III. composito. Nonne & Christus Iesus *vagit infans inter arcta conditus praesepia* (a), eadem S. Ecclesia praecinente, cum primum huius lucis aspectu frueretur, ut lacrymis tergeret peccata nostra, quae in finem vitae, totius sui sanguinis profusione erant tollenda? Nonne & amici Lazari funus lacrymis honestavit? Nonne cum Ierusalem excidium animo longe prospiceret, collacrymavit? Nonne eum in passione sua, *cum clamore valido, & lacrymis* ingemuisse S. Paulus testatur [b]? *Non tamen flevit pro se*, ut hunc locum explicat S. Thomas (c), *sed pro nobis, quibus passio sua profuit*. Neque vero nostram hanc de luctu Virginis, quam sequimur opinionem, Sancti Evangelii Scriptores silentio suo redarguunt. Scimus enim ipsorum testimonio eos multa praeteriisse, quae facta tamen sunt. Profecto de ipso Iesu, quem ex S. Paulo didicimus in Cruce subspensum, & iam iam moriturum, cum clamore & lacrymis sese Aeterno suo Patri obtulisse, altum apud eos de lacrymis silentium. Angebatur interim Virgo Sanctissima, ac vehementer quidem angebatur; sed

ita

(a) Hymn. in Nat. Dom. (b) Ad Hebr c. 5. v 7 (c) In Ep. S Paul. ad Hebr. Lect. I. in c. 5. Oper. T. VII. edit. Ven. pag. 471.

ita anxietatem animi ſui moderabatur Fortitudine, & Fide, ut ſe ipſam ad Filii ſui voluntatem omnino conformaret, eumque pro humani generis ſalute lubentiſſime offerret: ita ut nihil indecorum in geſtu, aut verbo illam expreſſiſſe communis ſit ss. Patrum ſententia. Mirum tandem videri poteſt, eos qui hoc argumentum verſarunt, minime (quod recorder) advertiſſe, teſtimonio ipſius SS. Virginis, (aut ego parum video) totam hanc diſputationem dirimi. Nimirum, ipſa alias ſe doluiſſe teſtatur; cum ad modicum, nempe, tempus dulciſſimum Filium ſuum, quem amiſerat, & fruſtra inter cognatos & notos requireret. Eum enim cum inveniſſet dulci huiuſmodi querela convenit (a): *Filii, quid feciſti nobis ſic? ecce pater tuus, & ego dolentes quaerebamus te*. Quem igitur ad breve tempus amiſſum doluit: non doluerit crudeliter interfectum?

Ioannes vero ex alia parte triſtis & ipſe adſtat. Qui enim fieri poterat, ut Diſcipulus ille, qui Magiſtrum ſuum ardenter amabat, & a quo ornari ſe non vulgariter ſentiebat, quippe tanto ante ſummam eius dignitatem perceperat; qui, inquam, fieri poterat, ut tantum dolorem aequo animo ferre poſſet? Volumen illud, quod ante pectus ſuſtinet, ipſius Evangelium eſſe, quod *de Dominici pectoris fonte* ſcriptor potavit, mihi facile perſuadeo.

In ſuperioribus Crucis angulis Angeli utrimque poſiti dextera thuris acerram agitant; vaſa, quibus ſanguinem e manibus fluentem excipiunt, ſiniſtra ſuſtinent. Nomina ipſis appoſita haec ſunt. MICHAEL GABRIGEL. Nemo porro neſcit, Michaëlem Archangelum, quemadmodum olim Synagogam ſuo fovebat patrocinio, ita nunc Eccleſiam in clientelam ſuſcepiſſe. S. Ioannes id in ſua divina Apocalypſi aper-

(a) Luc. c. 2. v. 48.

aperte testatur (*a*), ubi narrat, *factum esse praelium magnum in Caelo. Michaël enim & Angeli eius praeliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat; & Angeli eius*. Scio ex Haereticis quosdam ita locum hunc accepisse, ut non de Michaële; sed de ipso Iesu Christo sermo sit. Quemadmodum apud Danielem de Verbo, cuius principium in ipsa aeternitate lateret; quorum porro insaniam doctissimus Bossuetius (*b*) erudite non minus quam vere confutavit. Teneamus igitur tamquam Ecclesiae Patronum, heic Michaëlem fuisse collocatum, qui praeterquamquod capitalem Ecclesiae hostem, insidias semper eidem nefarie molientem, contuderit, atque profligaverit; animas etiam, pro quarum salute I. C. sanguinem fudit, pro munere suo in Beatorum sedibus collocat; quam laudem ei tribuit Sancta Ecclesia (*c*), dum orat, ut *Sanctus Michaël repraesentet eas in lucem sanctam etc.*

Gabrielem quoque Angelum optima ratione noster Artifex exculpsit, quod ad admirabile *Incarnationis* mysterium nunciandum, ipsum Deus elegerit. Hinc S. Ioannes Chrysostomus (*d*) Christum Adamo comparat, Virginem Mariam Hevae, Serpenti Gabrielem Archangelum: *Restauratur*, inquit, *per Mariam, quod per Hevam perierat; per Christum redimitur quod per Adam fuerat captivatum; per Gabrielem promittitur quod per diabolum fuerat desperatum*. Per hunc Archangelum internuncium suum fortasse Iesus, hoc est, Servatoris nomen Filio suo Pater Aeternus indidit. Angelus autem, qui de Christo nato Pastores admonuit Archangelum Gabrielem fuisse, nonnulli affirmant; eumdemque maeroris acerbitatem, qua Christus in horto

(*a*) c. 12 v. 7. (*b*) Prefaz. all' Apoc. pag. 37. (*c*) In Miss. Defunct. (*d*) Sermo de Interd. Arbor. Oper. T. I. pag. 210. edit. Lugdun. 1687.

horto afficiebatur, leniſſe aſſerunt alii; licet Archangelo Michaëli hoc munus iniunctum fuiſſe plerique tradant. Illud profecto extra omnem dubitationis aleam eſt, Danielis precibus Gabrielem e caelo miſſum fuiſſe, ut eum de myſtico ſeptuaginta hebdomadarum ſomnio erudiret, quae ad Incarnationem Verbi referendae erant. Quare puriſſimum hunc Spiritum divinae voluntatis miniſtrum ſemper fuiſſe, ubi de altiſſimo hoc Incarnati Verbi myſterio ageretur, ſunt, qui facile ſibi perſuadeant (*a*): *ad hoc quippe miniſterium*, ut S. Graegorius animadvertit, *ſummum Angelum venire dignum fuerat, qui ſummum omnium nuntiabat*. Porro quod nam beatiſſimorum horum Spirituum apud Deum munus ſit, nemo eſt qui neſciat, modo ſacras Scripturas primoribus, ut dicitur, labiis deguſtarit. Equidem apud Danielem legimus (*b*): *millia millium miniſtrabant ei; & decies centena millia aſſiſtebant;* idem & in Apocalypſi habemus (*c*). Sed & Paullum Apoſtolum de Ieſu Filio Dei ſcribentem audiamus (*d*): *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? & rurſus: ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium? & cum iterum introducit Primogenitum in orbem terrae, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei*. Sancti vero Evangeliſtae Chriſto Angelos miniſtraſſe pluries commemorant. Hinc Doctor Angelicus (*e*), *duo*, inquit, *Angeli ſunt duo Teſtamenta, concorditer Chriſtum reſpicientia: vel omnes Angeli Chriſto ſervientes concorditer & unanimiter*. Quae cum ita ſint, optimo conſilio hoſce duos Angelorum Coryphaeos in noſtro hoc Dypticho collocatos videmus, qui morienti Chriſto obſequium praeſtarent; eumque, tam-

(*a*) Hom. 34. in Evangi T. I. pag. 1604. (*b*) Daniel 7. 10. (*c*) c. 5. v 11. (*d*) Ad Hebr. c. I. v. 5. & 6. (*e*) In Ep. S. Paulli ad Hebr. lect. 5. pag. 508. Oper. Tom. VII.

tamquam Deum, ac Dominum ipsi suum venerarentur. Michaël igitur Archangelus vetus hic Testamentum repraesentat, quod in novo perfectum est & absolutum; cuius quidem personam Archangelus Gabriel sustinet. Neque frustra thus & acerram, quibus Christum colant, iis tributam fuisse censebimus, si id animo reputemus, quod in Apocalypsi (*a*) scriptum legimus: septem scilicet excellentiores Angelos Ecclesiis, quae eorum curae fuerant commissae, praeesse: *& alius Angelus venit, & stetit ante Altare habens thuribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, ut darent de orationibus Sanctorum omnium super Altare aureum, quod est ante thronum Dei*. Et paullo post: *Et accepit Angelus thuribulum, & implevit illud de igne Altaris, & misit in terram*. Altare hoc nihil aliud esse scimus, quam ipsum Iesum Christum, cui Angelus, veluti thus quoddam, orationes exhibet: & de cuius sancto igne tota terra impletur, atque illuminatur (*b*): *Ignem*, ait ipse, *veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur*? Atque hinc Bossuetio (*c*) docente, contra cavillatores Haereticos dicere possumus, unde thuris Deo in sacris solemnibus officiis offerendi Ecclesiae consuetudo originem duxerit. Quod ideo fortasse in nostro Diptycho servatum est, ut, dum hoc Angeli praestant, eos Ecclesiae nomine, quae Iesum Christum pedes proiecta veneratur, sanguinemque sacratissimum colligit, praestare intelligeremus.

Divinitas, inquam, atque Humanitas Christi per Angelos, qui Crucifixo thymiamata sive thus adolent, & sanguinem e manibus defluentem, suppositis acerris, colligunt, proculdubio declaratur: *Nulla enim est Ecclesia cerimonia* (utor verbis Doctissim.

Car-

[*a*] c. 8. v. 3. & 5. [*b*] Luc. 12. 49. (*c*) loc. cit.

Cardinal. Bona) (*a*) *cuius crebior mentio fiat in antiquis & recentioribus omnium Liturgiis, quam thuris & thymiamatis, quod saepe inter sacrificandum adoletur*: ex veteri Teſtamento hic uſus, rituſve in Eccleſia dimanavit; cuius auctor fuit Moſes, ſive Deus ipſe per hunc ſervum ſuum (*b*) ut Veteres omnes Patres conſentiunt de hoc divino honore, quo ſolus Deus videtur colendus. Qui de rebus Liturgicis ſcripſerunt, idipſum ſtatuunt; inter quos laudatus Bona, Durantus (*c*), Martene (*d*), Le Brun (*e*), Meratus (*f*), & alii tres nempe illi ſancti Viri, qui ad adorandum Chriſtum Dominum e longinquis regionibus venerunt, thure eius Divinitatem agnoverunt, & teſtati ſunt. Hinc S. Leo (*g*) de hoc myſterio agens: *Vtque Sacramentum fidei ſuae*, inquit, *intelligentiaeque manifeſtent, quod cordibus credunt, muneribus proteſtantur*. *Thuribulum* quod Corpus Chriſti ſignificare ſuperlaudati Scriptores advertunt, non uno nomine fuiſſe appellatum notarunt Cangius (*h*), & Macrus (*i*), nempe *thymiamaterium*, Graece *thuricremium*, *incenſorium*, ſive *incenſarium*, *fumigatorium*. Hinc *Altare thymiamatis*, ſuper quod thymiama ante Sancta Sanctorum, Deus praeceperat ſibi offerri, atque comburi; & cuius compoſitionem famulum ſuum edocuerat. Eius atque thuris etymologiae poſſunt videri apud Macrum, & Nicolaum de Martyer (*k*), ut appareat, quam apte Deo conveniant, cui ſoli debetur Victima, & Sacrificium: *Thus autem* συμ-

βο-

(*a*) Rer. Liturg. L. I. c. xxv. pag. 246. (*b*) Exod 30. v. 34. & 35. & alibi. (*c*) De Rit. Eccl. L. I. c. ix. pag. 59. (*d*) De Antiq. Eccl. Rit. T. I. L. I c. iv. art 12. pag. 504. (*e*) Explicat. des Prieves, & des Cerem. de la Meſs. T. I. p. 1. art. ix. pag 146. (*f*) Theſ. Ssc. Rit. T. I p. 11 Tit. iv. pag. 165. (*g*) Serm. I. in Epiph T. vii Bibl. ss. PP pag. 1004. (*h*) Gloſſar. (*i*) Hierolex. (*k*) Etymologiae Sac.

βωλον, ait S. Hieronymus (a) *est spiritualis thymiamatis, quod est cultus Dei*. Nonne etiam Ethnicorum pervaserat animos eadem in litando Diis sententia: cur tamen ab initio ligna, herbas, aliasque odoriferas res adolerent, & focis iniicerent? adeo ut satis iis fuisse constat, si Christiani, quos ad Idololatriam variis modis adigebant, thus iniicerent in areolam, aut manibus thuribulum arriperent, quasi Diis sacrificaturi; qui propterea *thurificati*, & *sacrificati* dicti sunt. Videndus Arnobius (b), & praecipue S. Cyprianus in Libro *de Lapsis*, & alibi (c), contra quos vehementer succenditur. Et Origenem hac culpa non caruisse refert Epiphanius (d): *iniecto in manum eius thure, ipsum ad Arae rogum adduxerunt: atque sic a Confessoribus, ac Martyribus, tunc re cognita reiectus est, & ab Ecclesia expulsus*. Quod Graecos attinet, plura & erudite Ioannes Potterus (e). Addo Rhodigini auctoritatem (f) de Ethnicorum moribus cum suis idolis litarent: ait enim: *Principem Deum tribus coli, adoratione, thuris sacrificio, hymnis -- Adoratio reverentiae cultum exhibet; thus suavissimae cognitionis divinae distributionem complectitur; hymnorum iucunditas, Coelorum refert concentum*. Sileant itaque Acatholici, qui antiquitatem & sanctitatem huius sacri Ritus stulte irrident, & impie damnant; quem a Deo, quem ab Apostolicis usque temporibus rite deducimus.

Quatuor Sanctorum Evangelii Scriptorum Ectypa, quae in spatio lamina argentea circumscripto per notissima de more animalia, adscripta cuique epigraphe declarantur, operam nostram nunc poscere videntur.

Ve-

(a) Com. in Abac. L. I. c. II. T. VI. pag. 626. (b) Lib. VII adverf. Grat. [c] Ep. 52. pag. 95. (d) Haer LXIV. pag. 236.
(e) Archaeolog. Graec. T. I. L. II. c. IV. pag 234. (f) Lect. Antiq. L. XXII. c. IX. pag. 1234.

Verum quid de iis in medium afferre possumus, quod non tritum omnibus sit, & pervulgatum? Supersedebo igitur; illud obiter admonens Artificem Leoni *Lucam*, Bovique *Marcum* oscitanter subscripsisse: observatione tamen dignum censeo, quod S. Ioannem humana forma Artifex exprexerit; sed eidem Aquilae caput aptaverit. Etiam in antiquo Aquileiensi Baptisterio, quod V. C. & amicus noster Canonicus Comes Dominicus Bertolus illustravit (*a*), S. Ioannes hac figura visitur; quin etiam S. Lucas humano corpore, capite vero Bovis ibidem exhibetur. Sed ad S. Ioannem quod attinet, quemadmodum nemo, quae Christus gessit, dum inter nos viveret, eo diligentius enarravit; quippe qui iis omnibus usque ad Christi mortem ocularis testis interfuerit (*b*): *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scimus, quia verum est testimonium eius*: ita nemo eo altius de Christi Divinitate perscripsit. Hanc porro ingenii sublimitatem & acumen indicat Aquila, quo divinus Scriptor signatur. Ideo autem humano corpori Aquilae caput additur, quod fortasse in eo tum Christi Humanitatem, tum Divinitatem, de quibus S. hic Evangelista reliquis tribus gestorum Christi Scriptoribus excellentius disputavit, voluerit per haec exprimere.

Sed iam Epistolae modum praetervecta est oratio mea, cui tamen antequam finem faciam, patere quaeso, Vir humanissime, ut quidquid in sacro hoc Dypthycho continetur, non tam tua, quam mea caussa in compendium redigam, & per summa capita in mentem tantisper revocem. Cruentum igitur hic Sacrificium repraesentatur, quo D. N. I. Christus sese pro humani generis salute Patri obtulit: quodque illud etiam incruentum animo subiicit, quo idem Christus sese ut summum Sacerdotem *secundum*

(*a*) Antichità d' Aq. pag. 404. & 405. (*b*) Io. c. ul. A. 24.

dum ordinem Melchisedech, nostrum, qui Sacerdotes sumus, caussa, sub vini, & panis specie exhibet: *novorum Sacrificiorum Sacerdotem* (ita eum Tertullianus vocat (*a*), cum de hoc incruento Sacrificio verba facit) qui *nova Sacrificia offerat*, *& Sacrificiorum aeternorum Antistitem*. In primo, hoc est cruento, Sacrificio Crux fuit Mensa & Altare: in secundo, hoc est incruento, quod nobis ad eventi imitatione & memoriam traditum est, Christus ipse, & Altare est, & Sacerdos, & Hostia. *Mensam* quidem & *Altare* eum antiquiores Patres appellarunt. *Mensa est*, *quia ibi renovatur sacra Domini Coena*: *Altare est*, *quia ibi Sacrificium Crucis mystice veneratur*. *Atque hoc quidem nostrae Christianae Religionis proprium est ac peculiare*, *eamdem Eucharisticam mensam*, *Altaris quoque munere fungi*, quemadmodum erudite Clariss. Muratorius in nupero, *de Rebus Liturgicis* Opere animadvertit (*b*), quod sane praeclarum opus utinam Heterodoxi legant amoto partium studio! *Ecclesia* vero, quae in nostra Tabula ita est composita, ut Sacrificium offerre videatur, Sacerdotium ipsum, quod Christus instituit, praefigurat; novamque Legem, quae per Evangelium, quod semper in Missa peragenda legitur, lata est, confirmat. *Synagoga* Prophetarum de eodem Christo vaticinia, quae itidem iuxta Apostolicam traditionem in sacra Synaxi leguntur, exprimit. Aliam praeterea significationem tum Ecclesiae, tum Sinagogae tribuere possumus; ut scilicet prima Christianum populum; altera Hebraeum, seu, quod idem est, duo Candelabra, quibus in sacro peragendo utimur, praesignet; haec enim docente Innocentio III. (*c*) utrumque populum significant. Per Angelos eorum in hoc Sacrificio prae-

(*a*) Adversus Iud. c. VI. pag. 43. (*b*) T. I. c. XVIII. pag. 228.
(*c*) Lib I Myst. Miss.

praesentia & famulatus designatur, ministrorumque eidem inservientium. Et quidem Ecclesiae nomine erat Sacerdos, ut iis Spiritibus coelestibus ministris & internunciis preces, & munera, verbo Sacrificium, quod tunc Deo offert, ad illum proferantur (*a*): *Iube*, inquit, *haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime Altare tuum, in conspectu divinae maiestatis tuae*. Quae tamen verba non ita accipienda esse, quasi Christus *egeat ministerio Angelorum*, uti contra Bingamum Haereticum laudatus Muratorius (*b*) scite observat; sed nihil aliud petit Ecclesia, *nisi ut ad coeleste Altare* [*cuius mentio est in Apocalypsi*] *sive ad coelestem Dei thronum, & Sanctuarium Divinitatis per Angelum* (*qui orationibus fidelium vivorum praeest, easque ad Patrem defert, uti pariter in Apocalypsi legitur*) *deferantur orationes, vota, & oblatio, sive Sacrificium, quod tunc Deo offertur*. Quamquam etiamsi eam sententiam oratio illa contineret, quam revera complecti contendit Haereticus augusta Filii Dei maiestas nihil inde dedecoris pateretur, uti Clariss. eius Adversarius egregie demonstrat. Adstant huic Sacrificio & Virgo mater, & Discipulus dilectus, ut offerant illud. A quibus enim purius aut sanctius convenit offerri immaculatam hanc Hostiam Aeterno Patri, quam a Sanctissima Virgine Matre; aut a Discipulo illo, qui eam a moriente Magistro commendatam accepit in suam, quique supra ceteros diligi ab ipso meruit? & uterque ad Crucis pedes adstantes cruentum Sacrificium obtulerunt? Quod autem Sancti quatuor Evangelii Scriptores huius Sacrificii institutionem nobis tradiderunt, aeternique Iesu Christi Sacerdotis dicta, factaque mirabilia superno lumine aucti descripserunt, idcirco locum & ipsi hic merito obtinet. Denique nostrum hoc Diptychum dum intue-

tue-

(*a*) In Miss. (*b*) loc. cit. cap. XXI. pag. 252.

tuemur, ſtatim ad SS. Trinitatem mentis aciem attollimus, quae ſemper Homini Filio praeſens adfuit, non ſolum cum mortalitatem induit, in humanis egit, in ara Crucis ipſam exuit mortalitatem, cruentum offerens de ſe ipſo Sacrificium; verum etiam cum modo incruentum quotidie ad illius memoriam peragitur, intereſt, debitoque cultu ab omnibus honoratur.

Habes, Eruditiſſime Vir, non Epiſtolam, ut quidem initio mecum conſtitueram, ſed ſatis longam Diſſertationem. Magnum, mihi crede, in ea pertexenda laborum meorum fructum me collegiſſe putabo, ſi, non dicam laudem meruiſſe, ſed culpam, te Iudice, vitaſſe videbor: maximum autem, ſi quidquid a me peccatum eſt, tu emendandi curam, quod ut facias, etiam atque etiam te rogo obteſtorque, benevole atque amanter ſuſcipies: *utilis enim ſemper eſt docti Viri allocutio: quia aut diſcit audiens, quod neſcire ſe noverat; aut agnoſcit, quod eſt amplius, id quod ſe & neſciſſe neſciebat*, ut ait S. Gregorius, ſcribens ad Eulogium (*a*). Quod vero ſerius, quam oportebat, aut tu volebas, tuis iuſſis obtemperaverim, id ſcilicet in cauſſa fuit, quod timide, tenuitatis maeae conſcius, ad opus ſuſcipiendum, perficiendumque acceſſerim: plus enim oneris, quam ferre poſſem, me ſubire intelligebam. Sed tibi petenti perendum omnino fuit, ne aut benevolentiam erga me tuam ignorare, aut auctoritatem aſpernari, aut voluntatem viderer negligere. Vale.

Dabam Vtini, ipſo die feſto S. Eliſabet Langraviae Thuringiae VIII. Kal. Decembr. MDCCXLVIII.



(*a*) Lib. VIII. Ind. I. Ep. XXIX. col. 916. Tom. II.

ITA CORRIGANTVR ERRATA

Pag. 3. verſ. 30. *quia tranſgreſſus eſt*. -- pag. 7. v. 7 *Baptiſmate* -- p. 8. v. 13. haec ſunt -- p. 9. v. 22. Chriſtus -- p. 11. v. 3. dele primam lineam -- p 12. v. 20. anni -- p. 13. v. 25. coeperunt -- p. 14. v. 15. *Graecis* -- p. 15. v. 5. uſurarum -- p. 16. v. 4. *Tituli* -- p. 46. v. *ult. Iehoſuah* -- pag. 57. v. 8. negligentes -- p. 58. v. 15. Latine -- pag. 176. v. *ult.* abluderet. p. 183. v. 7. BASILICAE -- p. 185. v. 14. membranaceis p. 187. v. 13. ornati -- p. 188. v. 9. *Quod tibi* -- pag. 193. v. 29. digniori -- p. 199. v. 31. Reyherum -- p. 200. v. 30. vale dixiſſe -- p. 201. v. 22. fratris -- pag. 203. v. 4. Sclavorum -- v. 11. *Heinric.* -- v. 12. Hiltirit v. 24. Adilbert. -- p. 204. v. 10. *Bolih Dux* ☉ & dele *victoria* m - p. 209. v. 9. ut perſuadeat - p. 211. v. 18. ſuperaddita - v. 27. *Cruci* - p. 212 v. 6. ſacri - v. 19. poterat -- v. 20. refert -- v. 22. *clavorum* -- p. 213. v. 15 hanc de -- p. 216. v. 12. mandaverat -- p. 217. v. 1. ab illis non eſſe defendendum, ſed -- p. 218. v. 23. ipſiſſima -- p. 220. v. 29. acquieviſſent -- v. *ult.* ſi forte ii, quem ceteris iam ſpoliaſſent Regis -- p. 221. v. 18. *croire* -- v. 20. *tete* -- p. 223. v. 11. bene noſti p. 224. v. 1. e nubibus -- p. 225. v. 8. *ad annunciandum* -- pag. 233. v. 7. abrupit -- v. 32. Praeſcripſit p. 234. v. 13. hoſtia -- v. 22. habent -- p. 235. v. 18. *amandatum* -- p. 236. v. 3. Malvenda -- v. 25. ipſis p. 237. v. 9. *improperium* -- v. 10. *portam* -- p. 242. v. 27. quae ad Ieſu Chriſti pedes -- v. ult. *Eccleſiaſtica ceremonia* -- p. 243. v. 10. Durandus -- v. 11. & alii. Equidem tres illi ſancti viri -- v. 27. de Mortyer p. 246. v. 8. ad cruenti imitationem -- p. 247. v. 5. perferantur -- p. 248. v. 4. exuit immortalitatem -- v. 23. meae -- v. 26. parendum.

Ignoſcant typographicis operibus Lectores & Auctores; quos oro ut elegantioribus characteribus in poſterum exarata mittant ſcripta ſua, ſine lituris, & litteris ambiguis, ac vitioſis.